


[illegible] mea primo [illegible] et [illegible] et

[illegible] n̄ [illegible] unum p se [illegible] audiem [illegible] hoc dici negari [illegible]

[illegible] ex duobus entibus [illegible] actu ultimo [illegible] n̄ [illegible] unum p se

ente [illegible] [illegible] facit cum eo [illegible] p se [illegible] ma dra [illegible] [illegible] existen-

tiam mea [illegible] cent dici [illegible] in actu ultimo [illegible] [illegible] [illegible] ad

[illegible] mal ut entium in actu [illegible] cte [illegible] N Majs [illegible] explico axioma ex duo-

bus entibus in actu ultimo completo tam physico [illegible] Mphice [illegible] n̄ [illegible] unū

p se [illegible] in actu ultimo Mphisico physice incompleto [illegible] [illegible] eodem modo

[illegible] incompleto negnā [illegible] [illegible] [illegible] majoris de [illegible] enim actu

physico axioma eu Comunis consensu procedit n eo de actu Metaphysico [illegible]

[illegible] [illegible] incompleta [illegible] ad actu physicum cu [illegible] dicant

[illegible] et utrumq [illegible] [illegible] [illegible] actione unu p se composi-

[illegible] [illegible] [illegible] ma actuas physice entias [illegible] completa

[illegible] ad se Ordinem seu respectum dicant ad sui completionem

[illegible] actuari unu p [illegible] unu enim p se [illegible] [illegible]

[illegible] ex potena et actu physico [illegible] p existena

[illegible] completas physice in ratione entis physici [illegible]

[illegible] incompletum physico ita manet incompletum cum

[illegible] actuas [illegible] p existena Mtphysice [illegible]

[illegible] mentum. [illegible] maurq [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] Omnis [illegible] cet accidens et [illegible] [illegible]

[illegible] generares hoc dici [illegible] [illegible] accidem

[illegible] [illegible] p ce [illegible] primo [illegible] [illegible] cte

[illegible] p ce [illegible] unum id e supponens ce actuale

[illegible] [illegible] [illegible] cc [illegible] receptu

[illegible] cte [illegible] probationis [illegible] nec

[illegible] Vide

Dices Nulla existena [illegible] se [illegible] ut potena respu alterius existend[illegible]

[illegible] ex duab existenes [illegible] [illegible] [illegible] n [illegible] unu p se [illegible] [illegible] existen-

[illegible] tunc existena [illegible] in eode [illegible] et Ordine cet potena et actu [illegible] hoc dici

negatur [illegible] existena [illegible] cet potena ut [illegible] supponis et unit cet actu

[illegible] existena [illegible] actu [illegible] [illegible] Existena ex [illegible] [illegible] receptiva alterius

[illegible] potena [illegible] probationis N Maj [illegible] [illegible]



Drugo mer. Kortow[ski]

W domu iegomości xiędza
prawatora dobrodzieia na
szego oica Byt

Gruba piora kate
marza dobrego
Gospodarsa

Wielakiem nie osptat
Kumsen [illegible]



AD CLERUM
ET
POPULUM
DIÆCESANUM PLOCENSEM
EPISTOLA PASTORALIS
ANNO DOMINI MDCCLIII.
PROMULGATA



VARSAVIÆ,
Typis S. R. M. & Reipubl. *Collegii Varsaviensis* Soc. JESU.

1. ad Thes. c. V. Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc omnibus Sanctis Fratribus.

2. ad Thes. c. III. v. 4. Confidimus autem de vobis Fratres in Domino omnia quæcunq; præcepimus & facitis & facietis.

v. 5. Dominus autem dirigat corda vestra in Charitate DEI & patientia Christi.

JOSEPHUS EUSTACHIUS
DE SŁUPOW
SZEMBEK,
DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS PLOCENSIS.

Perilluſtribus & Illuſtribus Admodum Reverendis Prælatis & Canonicis tam Eccleſiæ Noſtræ Cathedralis quam Collegiatarum, Archidiaconis, Decanis, Præpoſitis, Parochis, Commendariis, Vicariis, Promotoribus, Manſionariis, Altariſtis, cæteriſq; Presbyteris; nec non Univerſo tam Sæculari quàm Regulari Clero, tum & Populo Diæceſis Noſtræ Plocenſis: Gratia Vobis & pax à DEO Patre Noſtro & Domino JESU Chriſto Noſtraq; Benedictio Paſtoralis.



Ulla alia ſcribendi ad Vos Filioli dilectiſſimi Epiſtolam præſentem ad puncta redactam, in viſceribus noſtris præconcepta manifeſtatur ratio; præterquam major DEI T. O. Maximi Gloria, diſciplinæ

Ecclesiasticæ Vigor intemeratus; Salus Vestra; Animarumq; Curæ Vestræ præcommissarum Christi Sanguine pretioso acquisita. Non ostentandæ doctrinæ & eloquentiæ causâ, nec persvabilium humanæ Sapientiæ verborum ducimur apparatu, sed in veritate Spiritûs aperimus Vobis Literarum Nostrarum sistema, quod pro Pastorali munere sentimus. Et præprimis æternæ veritatis propositiones, quas Episcopali Officio Sæ. enunciant paginæ, Vobis quoq; communicandas & in tabulis cordis vestri annotandas vehementer exoptamus. Urget Nos illa Ezechielis 3. Domini sententia, qua Nos speculatorem Domûs Isràël dedit, Proverb. 7. *Ut vultum pecoris Nostri agnoscamus & super greges consideremus*; quatenus eâ qua possumus maximâ diligentiâ, debitam circa vigilantiam gregis Nobis commissi adhibeamus, animadversionem. Et quia propriis, hic & nunc oculis intueri ea, quæ circumspectioni Nostræ meritò esse ducimus, non valemus, nec os ad os de præsenti Vos alloqui possumus, supplemus per Literas munus, & præcedenter, calamò pro lingua utimur. Speramus Nos equidem per ineffabilem DEI gratiam, æquè ex Literis, ac ex verbis oretenus suo tempore proferendis indubitatum in augenda DEI Gloria, & in muniis ritè per Vos exequendis sortiri effectum. Nec dubi-

tamus,

tamus, quòd vox Pastoris vestri per Literas manifestata efficaciter attinget sensus & corda vestra. Porro unum est necessarium, quod vobis scribimus, & tota mente retinendum summopere commendamus: Dedit vos DEUS *Pastores* & *Rectores* ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi: *Satagite igitur ut per bona opera vestra certam vocationem* [illegible]; quæcunq; verbis alios docetis ea *factis vestris*, exprimere conemini. Et, qui aliorum oculis auribusq; obversamini, magis etiam *vitæ exemplis* ultra doctrinam præceptorum ad imitationem virtutum eos incitetis.

ad Philipp. Cap. IV. De cætero: *Fratres quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; Sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ: si quas virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc agite, & DEUS pacis erit vobiscum.*

1ma ad Thes. Cap. IV. Attendite diligenter; *ut quomodo vos opporteat ambulare & placere DEO abundetis magis, & ut vestrum negotium agatis & operemini.* 1. ad Thes. Cap. V. *Consolamini adinvicem & ædificate alterutrum, semper quòd bonum est, sectemini ad invicem & in omnes.*

Et nunc commendo vos DEO & verbô gratiæ ipsius, qui potens est ædificare & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Act. Cap. XX. v. 32. Dabantur

bantur in Arce Nostrâ Episcopali Pultoviensi. Die 16. Mensis Maji 1753tiô Annô.

PUNCTA
IN EPISTOLA PRÆSENTI COMPREHENSA.

I. PUnctum de Fide cum modo práctico eliciendorum actuum Fidei.

II. Punctum de Spe cum modo practico eliciendorum actuum spei.

III. Punctum de Charitate in DEUM cum modo practico eliciendorum actuum amoris DEI; Et de charitate proximi, ac de desiderio vero vjdendi & amandi DEUM in æterna beatitudine.

IV. Punctum de Sacramento Baptismi.

V. Punctum de Sacramento Pænitentiæ.

VI. Punctum de Extrema Unctione.

VII. Punctum de Sacramento Matrimonii.

VIII. Punctum de Sacrificio Missæ, & Oratoriis privatis, ac Presbyteris vagis ad celebrandum Missæ Sacrificium & audiendas Confessiones non admittendis.

IX.

IX. Punctum de Vita & Honestate Clericorum.

X. Punctum de Ordinandis, & apponitur Constitutio fel. mem. Innocentii Papæ XII.

XI. Punctum de Prædicatione Verbi DEI.

XII. Punctum de Observatione J. juniorum.

XIII. Punctum de Indulgentiis.

XIV. Punctum de Pluralitate Beneficiorum.

XV. de Residentia Parochorum.

XVI. Punctum de Decanis Foraneis & Congregationibus Decanalibus.

XVII. Punctum de Observatione Festorum, & de his, quæ sunt vetita Christianis & Hebræis.

XVIII. Punctum de Hæreticis.

XIX. Punctum de modo & potestate applicandi Christi Fidelibus Indulgentias in articulo mortis. Quæ potestas omnibus & singulis Presbyteris tam Secularibus quam Regularibus est subdelegata.

XX. Punctum in quo exponuntur Indulgentiæ perpetuæ à SSmo Domino Nostro Domino BENEDICTO Papa hujus Nominis XIV. tam docentibus & addiscentibus methodum Orationis mentalis, quàm Orationem ipsam mentalem peragentibus concessæ. Orationis hujus mentalis seu Meditationis praxis tam *in Cathedrali* & Collegiatis, quàm *in omnibus Ecclesiis* per totam Diæcesim inviolatè observanda, Authoritate Ordinaria demandatur.

XXI.

XXI. Punctum in quo exponuntur Indulgentiæ pro recitantibus ſub horam noctis ad pulſum campanæ Pſalmum : *De Profundis* vel ſemel *Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam* cum verſiculo *Requiem æternam.* Et injungitur publicatio & executio in omnibus & ſingulis ultra Cathedralem ac Collegiatas, Eccleſiis.

XXII. Punctum de Obſervatione Conſtitutionum Synodalium.

Tandem, ad calcem præſentis Epiſtolæ apponitur Tabula ſive Schedula, in qua omnium Sacramentorum Catholicæ Eccleſiæ, materia, forma, Miniſter, ſuſceptor, effectus, Inſtitutio, Definitio exprimuntur.

PUNCTUM PRIMUM
DE FIDE.

PRima ſalutis noſtræ janua, initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, & medium ad conſequendam ſalutem omninò neceſſarium eſt Fides S. Catholica, ſine qua *impoſſibile eſt placere DEO.* Donô fidei hujus quô illuſtrati firmiter aſſentimur, credimus ac profitemur finem creationis noſtræ hunc eſſe, ut

DEUM

DEUM T. O. Maximum super omnia amemus, adoremus, glorificemus, illi soli serviamus, Ejusq; visione intuitiva & amore fruitivo plenè satiemur. Neminem tamen ingredi in cælum & salvari sine vera fide, firmiter asserimus. Id enim explicitè revelatum Nobis Marc. 16. *Qui verò non crediderit condemnabitur.* Et quia non satis est credere, ex quo fides quæ coram DEO valet ad justitiam, est illa : quæ *per charitatem operatur* ad Galat. 5. Proinde ad justificationem & salutem, etiam necessaria observatio mandatorum DEI & Ecclesiæ, virtutum, bonorumq; operum exercitium adeò, ut opera bona influant etiam efficienter in salutem. Veritas enim infallibilis (quæ nec nos fallere nec falli potest) Dominus JESUS Christus quæsitus á scriba illîs verbis Lucæ cap. 10. v. 25. *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* ait JESUS: *in Lege quid scriptum est?* Cui ille: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.* Deinde Salvator: *Hoc fac & vives.* Hinc in vinea Salvatoris Nostri excitamur ad labores & opera, ut præmia salutaria consequamur: *Ite & vos in vineam meam, quod justum fuerit dabo vobis.* Est sane dogma fidei Nostræ Catholicæ fidem esse fundamentum salutis, sed ex hoc fundamento nullos fructus existere, nisi bonis operibus exornetur. Quid enim sunt illa præcepta, eorumq;

obſervatio, jejunia, abſtinentia, eleëmoſyna, Dies feſti, quid cruciatus Martyrum, Virginum caſtitas, quid deniq; Confeſſorum actiones glorioſæ, corporum ciliciîs enervationes, caſtigationes &c. &c. quid inquam, & ad quid hæc omnia ſunt? niſi ut fidem ſuam vivam efficiant, & ut opera ſua ſequantur illos.

Veſtri muneris eſt Paſtores animarum, per motiva fidei ac credibilitatis, gregem curæ veſtræ commiſſum, ejusdem fidei vivæ pabulô nutrire; & præprimis illa, quæ ſunt explicitè idq; tam neceſſitate medii, quam neceſſitate præcepti ſcienda & credenda explanare, in illisq; plenè erudire. Deinde incumbit vobis, ad credendum omnes & ſingulos articulos, quos Eccleſia credit, Populum ſubjectum inſtruere.

Duo inſuper in hoc puncto circa fidem veram, vivam, & ſalvificam annotanda veniunt.

Primum eſt; quod attingit fidem ipſam, *alterum* quod refertur ad motiva & aſſenſum eidem fidei. Fides inquam vera excludit omnem dubitationem, eſt ſincera & ſimplex, captivans intellectum in obſequium ſui. *Motiva* exercendi âctus fidei vivos & meritorios; Sunt in re *Myſterium revelatum*, & ſimul DEUS *verax & omniſcius*, qui tanquam prima veritas illud revelavit, & mediante Eccleſia ad credendum propoſuit. *Aſſenſus firmiſſimus* in hoc conſiſtit;

quod

quod magis assentiri debeamus, & defacto sic assentimur illis, quæ DEUS dixit, revelavit, & S. Mater Ecclesia ad credendum proposuit, quàm illis quæ oculîs videmus, manibûs palpamus: nam DEUS meretur majorem fidem, quam Nos, cùm nec falli, nec fallere potest. Ecclesia quoq; propter assistentiam Spiritus Sancti Joan. 14. & 16. errare non potest. Restat ut animarum Rectores actus fidei cum suis Parochianis in praxi eliciant, & ad eos eliciendos, methodum salutarem subministrent; exempli gratia in hunc modum.

Credo Te DEUM meum summè verum esse, summè bonum, summè amabilem, summè in se dilectum, perfectissimum, misericordissimum, justissimum.

Credo Tibi o DEUS meus! & assensu firmissimo amplector id omne verum & infallibile fuisse & actu esse, quidquid revelasti, & mediante S. Ecclesia Catholica ad credendum proposuisti: quia veritas infallibilis es, & nec falli, nec ullatenus fallere me potes.

Credo in Te DEUM meum, & Te omni possibili amore prosequor. Adauge fidem meam, adauge amorem Tui, adauge gratiam.

Credo & profiteor explicitè Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, id est, Trinum in personis, Unum in

natura DEUM meum; videlicet DEUM Patrem, DEUM Filium, DEUM Spiritum Sanctum, Tres Personas & unam naturam seu unum DEUM.

Credo quòd DEUS Pater creavit me, DEUS Filius redemit me, DEUS Spiritus S. sanctificavit me.

Credo & profiteor: quòd secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis Filius DEI Unigenitus, Dominus JESUS Christus, qui pro salute nostra ac pro salute & redemptione omnis humani generis naturam humanam assumpsit, incarnatus est de Spiritu Sancto; natus ex Maria Virgine, Homo factus est, passus, crucifixus, sepultus, & resurrexit à mortuis ac in cælum ascendit.

Credo: quia Tu DEUS meus es Remunerator bonorum, & Vindex malorum, id est bonos seu electos gloriâ cælesti præmias, malos verò seu peccatores in peccato mortali ex hac vita decedentes & non pænitentes igne æterno punis. Immortalitatem quoq; animæ humanæ credo & profiteor.

Credo deinceps & firmissime profiteor Articulos Symboli Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, decem DEI Præcepta, quinq; præcepta Ecclesiæ, septem Sacramenta verè & realiter à Christo Domino instituta.

Profiteor in Missa offerri DEO verum proprium & propitiatorium Sacramentum pro Vivis & Defunctis

functis, atq; in SSmo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum anima & Divinitate Domini Nostri JESU Christi.

Constantissimè teneo purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos atq; invocandos esse, Orationes DEO pro nobis offerre, atq; eorum Reliquias esse venerandas.

Imagines Christi ac DEIPARÆ semper Virginis nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem & venerationem impertiendam firmissimè assero. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Deniq; ea omnia ac singula quæcunq, DEUS revelavit & sancta Mater Ecclesia ad credendum proposuit, indubitanter recipio atq; profiteor. Et hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam usq; ad extremum vitæ spiritum constantissimè DEO adjuvante, retinebo & confitebor, atq, à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, & prædicari quantùm in me erit, curabo.

Ex præmissis DD. Parochi ultra instructionem

 Cathe-

Cathecheticam de Myſteriis fidei, neceſſitate medii & neceſſitate præcepti ad ſciendum & credendum explicitè neceſſariis populo ſuo proponendam, clara & diſtincta voce ejusmodi Myſterioſos fidei Actus inſimul cum ſuis Parochianis ſæpiſſimè eliciant, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, decem DEI præcepta, quinque præcepta Eccleſiæ, ſeptem Sacramenta â Chriſto inſtituta, pariter inſimul cum ipſis devotè recitent, ut ejusmodi Myſteria omnino ad conſequendam ſalutem æternam ſcienda & credenda eò firmiùs memoriæ Parochianorum imprimantur ac inhæreant.

Videatur & diligenter perpendatur SS. Concil. Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. de Reform. ubi Paſtores & animarum Curatores ſub diſtricta ultione per ſe vel per alios ad explicandam plebi commiſſæ doctrinam ſalutarem tenentur & ſtringuntur.

PUNCTUM SECUNDUM.

DE SPE.

EXpoſita neceſſitate Fidei Catholicæ ad juſtificationem & ſalutem æternam conſequendam neceſſariæ, deſcendimus ad ſpem. Fruſtraneum equidem foret credere in DEUM, ipſius omnipotentiam, miſeri-

ſericordiam, juſtitiam agnoſcere, niſi etiam in nobis excitemus ſpem, illum in æterna beatitudine videndi, ipſius miſericordiam per Orationem implorandi & conſequendi hoc, quod credimus illum poſſe & velle nobis dare.

Operæ pretium eſt: ut animarum Rectores fidelem populum pretioſo Sanguine Chriſti redemptum in ſpem firmam erigant. Etenim ſpes hominis Chriſtiani conſiſtit in deſiderio efficace ſummi illius Boni, ad quod creati ſumus aliquando obtinendi; ita ut ſimul conemur & erigamus animum ad ſuperandas difficultates, quæ nos ab illo poſſent impedire. Ad erigendum verò in nobis animum exempli gratiâ ad beatitudinem conſequendam, tria ſunt motiva, quæ nos fortiter cum Adjutrice Divina gratia adjuvare valent. *Primum: Fidelitas DEI in promiſsis. Secundum: Omnipotentia DEI. Tertium: Divina Miſericordia.* Ut hæc motiva ad Cathecheticam praxim reducantur: ſic nobis Catholicis viva fide credendum & firmiſſimê ſperandum eſt. Ideo *vg.* ſperamus beatitudinem æternam conſequendam: Quia *Primo* DEUS fidelis in promiſſis nobis dabit eam certò. Quia *Secundò*: DEUS Omnipotens poteſt nobis illam dare. Quia *Tertiò*: DEUS miſericors nobis vult illam dare. Erigimur inquam in ſpem firmam Catholici, & ſimul per fidem vivam, id eſt cum operibus bonis conjunctam, ad actus vitæ & gloriæ in cælis æternæ merito-

rito-

ritorios disponimur, quia DEUS infinite misericors cum vera fiducia sperantibus sibi præstò adest, & quia hanc suam misericordiam revelavit & ad plenam fiduciam incitavit Reg. 22. v. 3. *DEUS fortis meus sperabo in Eum.* & Psalm 12. v. 5. *Ego autem in misericordia tua speravi &c.*

Verè credimus & rectè speramus in Sacramento pænitentiæ veniam nostrorum delictorum, si per requisitas partes essentiales & integralem ejusdem Sacramenti pænitentiæ Patri misericordiarum, cum firmo proposito, reconciliamur, & de impetranda peccatorum nostrorum remissione spem firmissimam in infinitis meritis Domini Nostri JESU Christi ejusq; Passione pretiosissima habemus. Veritatem hanc infallibilem canit nobis Ecclesia: *Qui MARIAM absolvisti & latronem exaudisti mihi quoq; spem dedisti.* Est nobis omnibus Filius ille prodigus Luc. 15. Idea rectæ spei, qui fiducialiter ad thronum gratiæ & misericordiæ recurrit inquiens: *Ibo ad Patrem meum.*

Ex dictis: in principiis Fidei Catholicæ efficacissima ad spem media concludimus hæc esse, quæ nobis Sacræ Scripturæ passim commendant. Et quidem, si gratiis & auxiliis Divinis cooperamur, rectè speramus ex eo T. Q. Misericordiá DEI est infinita, merita Passionis Domini Nostri JESU Christi sunt infinita: *Qui non vult mortem peccatoris sed magis ut convertatur & vivat.*

Etenim: *Miſericordia Domini plena eſt terra.* T. Q. Chriſtus eſt paſſus pro nobis, & Sacramenta eô fine inſtituit, ut nobis quoq; cooperantibus ſuam ejusmodi miſericordiam exhibeat. T. Q. Fidelitas DEI in promiſſis (Qui in quacunq; die egerimus pænitentiam, promiſit nos exáudire) nunquam fallere nos & nunquam falli poteſt; quinimo ſtat ſuis promiſſis, & eſt fidelis & juſtus Judex, qui bonas actiones per gratiam dignificatas coronat, & depoſitum, ſeu Coronam gloriæ potens eſt ſervare.

Unum adhuc neceſſarium eſt; ut Parochi locorum cum ſuis Parochianis Actus Spei ſæpiſſimé eliciant, inſtruánt, & ad habitum ſalutarem inducant. Quæ praxis ſæpiſſimè, & præſertim in Confeſſione Sacramentali, ac circa diſpoſitiones animarum vg. in illis verbis eſt proponenda: *Diffido mihi, Confido tibi* per merita Salvatoris Domini JESU Chriſti o miſericordiſſime DEUS Spes tota ſalutis meæ.

Spero in Te DEUS meus, & in viſceribus miſericordiæ tuæ ac in pretioſiſſimis meritis Domini mei JESU Chriſti ſpem meam fiduciamq; plenam repono: quia infinitè bonus es; cujus eſt dare gratiam & gloriam, mihi quoq; vis eam conferre, & propter merita Salvatoris mei, tum propter opera mea quantumvis exigua, cum tua tamen gratia, facta: quia es

 Ipſa

Ipsa bonitas infinitâ, & per suam naturam sui diffusiva & communicativa suæ beatitudinis, & tantæ generositatis ac nobilitatis es, ut libentiùs des magna quàm parva.

DEUS meus summum bonum amat me, ut artifex amat suum opus, imo ut Pater filium suum, cujus bonum magis desiderat, quam ipse filius. Unde nec ego tam ardenter desidero beatitudinem obtinere quàm DEUS desiderat eam mihi dare, quare confido, quòd eandem ex meritis JESU Christi obtinebo.

Ad hoc ut essem beatus, è nihilo creavit me, & ut perditum a primis Parentibus Jus Regni cælorum recuperarem, per mortem Unigeniti Filii Domini mei JESU Christi, in Baptismo adoptavit me, & cum propter peccata propria illud Jus sæpè perdiderim, per gratiam Contritionis & Sacramenti pænitentiæ, in virtute Sanguinis Christi, sæpè in pristinum statum restituit me, ut sim filius & hæres Regni cælestis. Si me fugientem & contemnentem se tot modis quæsivit, ut ab ipso, id est summo bono non exciderem, quantô magis cupientem & quærentem, ad illum promovebit.

Vestrum deinceps auxilium vestráq; merita ò pretiosissima Virgo MARIA, Sancti Patroni mei, Sancti Angeli Custodes, omnesq; Sancti & Sanctæ DEI,

sup-

ſupplex imploro, apud miſericordiſſimum Patrem intercedite pro me, ſpem meam intra vulnera Chriſti repoſitam, juvate.

PUNCTUM TERTIUM.

DE CHARITATE IN DEUM.

SUmma vitæ Chriſtianæ ratio & vinculum perfectionis eſt Charitás in DEUM. Poſt fidem vivam, ſaluviſicam, ſpem firmam quas præcedentibûs punctîs expoſuimus, venit nobis tractanda materia de Charitate DEI & proximi adeò neceſſaria, ut ſine illa Charitate nullatenus ſalus æterna obtineri poſ[illegible] Veritas hæc Catholica aſſertiva ex evidentiſſimis Sacræ Scripturæ Locis colligitur. Et ſic 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Diliges Dominum DEUM Tuum & Proximum ſicut te ipſum Matth. 23. 37. Et 1. ad Corinth. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: caritatem autem non habuero nihil ſum.* Præterea Sanctus Auguſtinus inquit: *Sine caritate fides quidem eſt, ſed nihil prodeſt* &c. &c.

Definitum eſt ab Eccleſia DEUM tanquam ſummum Bonum ſaltem ſæpius per vitam eſſe amandum per actus caritatis. Juſtum equidem eſt, amantem re-

damare. DEUS ab æterno nos ac nostram salutem amavit ac amat, dignus est ut redametur à nobis, quinimo ut toto vitæ nostræ cursu ametur. Nihil est sub cælo & in terra quod nos ab amore summi boni avellere aut separare possit. Est itaq; diligendus DEUS *unice* id est *solus & super omnia*, ut ei nihil præferatur, ipse autem præferatur omnibus. Est inquam diligendus DEUS propter amorem ipsius, qui est in se summè dilectus, summè bonus, summè misericors.

Motiva ad amandum DEUM amore *amicitiæ* proponuntur sequentia. *Primo.* Finis creationis nostræ est hic, ut cognoscamus & amemus DEUM, & deinde illo per cognitionem & amorem æternum fruamur. *Secundo.* Intellectus noster lumine fidei cognoscit DEUM verum ac summum Bonum, qui nos prior amavit & amare pergit. Perconsequens & voluntas nostra piîs affectionibûs succensa, tendere debet in idem summum Bonum in se, cujus prioritate amoris est ab æterno præventa. *Tertio.* DEUS infinitè bonus, infinitè amabilis, infinitè perfectus, infinitè in nos per dona naturæ & gratiæ liberalis permovet nos ad se amandum.

Concurrunt insuper ad excitandum in nobis amorem DEI super omnia illæ prævenientes gratiæ, quas, priusquam ab eo rogemus, communicat nobis.

bis. Donum creationis, ſanctificationis, dona infinitæ ſuæ excellentiæ, uti: Incarnatio, Paſſio Domini, Euchariſtia, Adventus Spiritûs Sancti, Beneficia gratiarum per merita Salvatoris noſtri nobis cooperantibus collatarum & conferendarum, beneficia demùm gloriæ æternæ diligentibus ſe præparata edocent nos ut Bonitas Divina immenſa ametur ſuper omnia.

Incumbit ſummoperè vigilantiæ Paſtorum, ut ſæpiſſimè cum Populo ſuæ curæ commiſſo, Actus amoris DEI ſuper omnia, æq́ ac Actus fidei & ſpei eliciant, atq́ ad eliciendos tales actus, practicam methodum proponant, & ut inſtruant eundem Populum, ut frequentiſſimè, & vel maximè, quando ad peccátum à dæmone, vel ab homine, vel à concupiſcentia tráhitur, vel quando in peccato & periculo damnationis verſatur, vel in articulo mortis reperitur, ut ejusmodi actum amoris DEI ſuper omnia & actum Contritionis perfectæ ex motivo amoris & bonitatis Divinæ præconceptum, *cum voto quamprimùm, id eſt data prima occaſione coram Sacerdote Confeſſario peccata ſua confitendi*, exerceat.

Connexio amoris DEI hæc eſt: ut etiam diligamus proximos noſtros. Etenim Magiſter veritatis Chriſtus & Salvator noſter de diligendis proximis noſtris docet nos, ut ſequamur regulam perfectionis noſtræ, dum inquit Math. 5. *Audiſtis quia dictum eſt:*

diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum : Ego autem dico Vobis : Diligite inimicos vestros. Hinc Sanctus Stephanus pro se lapidantibus DEUM oravit &c. &c.

Sunt ergo necessariò amandi proximi nostri, quos, æquè ac nosmetipsos amandos præcepit DEUS, quia sunt DEI imago, quia sunt fratres nostri, ejusdem Patris qui in cælis est filii ac nos, & quia amantur à DEO, pro quibus equê ac pro nobis omnibus Christus Dominus sanguinem suum fundere non dubitavit. Est enim exhibitio amoris DEI, Proximi dilectio; nam sic Christus & instruit & de executione veritatis certos nos reddit: *Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.*

Quomodo autem in hoc amore erga proximum practicè procedendum nobis sit? Respondet Apostolus 1. Corinth. 13. *Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam: non inflatur, non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt; non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Omnia suffert; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Ad extremùm, post Actus Fidei, Spei, Charitatis, expositos, commendamus animarum Rectoribus: ut in Actibus veri desiderii videndi & per totam æternitatem in gloria cælesti amandi DEUM eliciendis frequenter instruatur Populus.

Exempli gratiâ apponitur modus practicus, eliciendi actum amoris DEI super omnia & desiderii videndi & amandi DEUM in æterna beatitudine *Amo*

Amo Te DEUS, quia creasti & redemisti me, & quia cælum mihi vis dare: sed magis adhuc ideo, quia ipse es propter Te omni amore dignissimus, ita, ut licet non benè faceres, nec cælum dares &c. tamen amarem. & actu amo Te, quia propter infinitam tuam bonitatem & perfectionem es amabilissimus.

Vel aliter: *Amo Te mi DEUS, non ideo tantùm, quia creasti me, redemisti, sanctificasti, conservas, & innumerîs quotidie beneficiis cumulas, neq; tantùm ideo, quia insuper dare vis mihi æternam in cælo beatitudinem, sed ideo maximè, & super omnia Te amo, quia Tu DEUS ob infinitas perfectiones tuas, es omni amore dignissimus, Tu es DEUS sapientissimus, potentissimus, sanctissimus, pulcherrimus* &c. &c. &c.

Desidero, suspiro, & anhelo, ad Te DEUS meus, quando veniam & apparebo ante faciem tuam, inquietum est cor meum donec requiescat in Te, desidero faciem tuam intueri, & visione intuitiva in æterna beatitudine ac amore tui fruitivo plenè & perfectè satiari. &c. &c. &c.

Adhæreant firmæ memoriæ & imprimantur cordi pro frequentissimè eliciendis actibus amoris DEI super omnia illa verba Sæ Scripturæ Deut. 6. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atq; consurgens, & ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntq;. & movebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostiis domûs tuæ.*

De

De hoc inſuper actu charitatis ſeu amoris DEI ſuper omnia hæc tradit Cardinalis Gottus:

Per ſe obligat Præceptum actûs Charitatis in DEUM ſuper omnia, non ſemel in anno, ſed frequenter infra annum, ita tutiùs & probabiliùs. Præceptum enim maximum, & primum, latum cum tanta, ex parte DEI, cautione, quod, ut ex Deuteronomio cap. 6. ſuperiùs allato, hominum oculis, & cordibus ſemper obſervatum, ac inſertum eſſe debet, nec poteſt ſine piaculo per longum tempus negligi. Immo ingratum ſe exhiberet homo, qui, cùm continuis à DEO beneficiis cumuletur, diu ſtaret, quin ad ſuum Benefactorem per amorem ſeſe converteret.

PUNCTUM QUARTUM

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

JAnuam Sacramentorum, primumq; & maximè neceſſarium Legis novæ Sacramentum Baptiſmi indubitanter credimus. Maxima huius Sacramenti neceſſitas proponitur nobis in Sacra Scriptura Joan. 3. v. 5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum DEI.

Effectus Baptiſmi eſt *Primo*; quòd per eum abluitur originale peccatum. In adultis & Originale abluitur ſeu deletur, & tolluntur actualia, ſi accedat Con-

tritio

tritio & destatio peccatorum. Veritatis assertæ probatio clarissimè constat. Nam Ezechiel. 36. 25. dicitur: *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Item 1. Corinth. 6. Abluti estis, sanctificati estis in Nomine Domini JESU Christi &c. &c. *Secundo*, per Baptismum homo efficitur Christianus, redditur particeps meritorum Ecclesiæ, fit hæres Regni cælestis; *quotquot receperant eum dedit eis potestatem filios DEI fieri* Joan. 1. *Si filii & hæredes.* Revocatur ad vitam, per unctionem fit Athleta ad pugnandum contra dæmonem. *Tertio.* Infunduntur virtutes supernaturales: Fides, Spes, Caritas, & aliæ morales.

Baptismus obligationes sequentes post se trahit: *Primò.* Baptisatus obligatur ad vivendum Christianè, id est adimplenda præcepta. Qui enim nomen Christiani portat, debet ejus opera sequi. Porro Christianus (ut inquit Hugo Carth. apud Soar. 27. nov.) obligatur ad tria: ut habeat Caritatem *in corde*, veritatem *in ore*, Castitatem *in corpore.* Hinc Christianus tam mortalia quàm venialia peccata fugere, verba inhonesta vitare, ab omni luxuria, gula, ira, odio, acedia, invidia, & deniq; ab omnibus peccatis & quibusvis delictis cavere, & quæ sunt à DEO & ab Ecclesia præcepta, exactè servare, actus fidei, spei,

charitatis, desiderii videndi & amandi DEUM, sæpissimè elicere, sæpiùs confiteri, lucrari Indulgentias, jejunare, opera justitiæ & charitatis meritoria exercere, facere bonum & declinare á malo, de virtute in virtutem proficere tenetur. *Secundo.* Debet totâ vitâ suâ stare promissis in Baptismo, ut, qui ter repetitîs promissionibûs abrenuntiavit satanæ, ejus omnibus operibus, & omnibus pompis ejus, firmissimè adimpleat promissam abrenuntiationem.

In casu necessitatis omnes possunt baptisare. Ordo tamen inter baptisantes asservatur, quòd vir præ muliere, Clericus præ Laico, Presbyter præ Clerico debet baptizare. Incumbit summoperè vigilantiæ eorum, qui animas regunt, ut obstetrices in adhibenda debita materia Baptismi, in pronuntianda verborum forma, ad valorem Baptismi omnino requisita & intentione habenda sæpissimè instruantur & examinentur. Deinde Patrini de suo munere, quo stringuntur ad instructionem infantis baptizati, si aliunde non habeat instructores, & insuper de contracta cognatione spirituali inter Patrinos sive vir sive mulier sit, quæ cognatio inter eos & baptizatum ipsum hujusq; Patrem & Matrem contrahitur, præmoneantur; quæ ulterius cognatio spiritualis est impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium. Videatur SS. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 2. de Refor. Lo-

Locus conferendi Baptiſmi, eſt: *Eccleſia propria Parochialis.* Unde nec in Oratoriis, nec in privatis Domibus extra caſum periculi Baptiſmus conferri præſumatur, ſub graviſſimis pænis inhibemus.

Binæ præterea præcautiones Parochis adjiciuntur, *Prima*: eſt: ut introligatus liber Baptiſatorum diligentiſſimè ab eis connotetur & aſſervetur. *Secunda*: ut Chriſmale decens *in pariete templi* exciſum & benè clauſum conſervetur.

PUNCTUM QUINTUM.

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

Finis principalis Sacramenti Pænitentiæ: eſt juſtificatio peccatoris, vocaturq; *Sacramentum mortuorum* ex eo, quia per illud homo, per peccatum mortale vitâ gratiæ privatus reviviſcit ſpiritualiter. Partes eſſentiales Sacramenti Pænitentiæ ſunt: Contritio, Confeſſio, Abſolutio. Satisfactio, eſt pars integralis. Quas partes tam eſſentiales, quam integralem ut Locorum Parochi ſuis Parochianis explanent, in Conſcientia tenentur.

In Lege nova, Confeſſio eſt neceſſaria *de præcepto*: Manifeſta hujus aſſertæ veritatis, ratio deſumitur ex claris Sacræ Scripturæ textibus: *Accipite*

Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Joan. XX. item Math. XVI. *Quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cælis* &c. &c. &c.

Confessarius agit Officium Judicis & Medici. Sicut enim Judex non absolvit nec remittit, quod non cognoscit, neq; Medicus curat vulnus occultum. Ita etiam in Confessario quà Judice cognitio plena delictorum, quà Medico detectio morbi sive vulneris, quod afficit animam, præcedere debet. Debet præterea cognoscere Confessarius vim & rationem Censurarum, Casus reservatos, qui Jure Canonum Summo Pontifici, qui Ordinario, qui insuper in Bulla Cænæ Domini, qui pro temporum varietate Episcopo sunt specialiter reservati. Insuper species peccatorum, circumstantias speciem mutantes, circumstantias aggravantes, minuentes, numerum eorundem peccatorum perpendere & plenè intelligere ac scire potestatem sibi in absolvendo concessam tenetur; seu certò innotescere ipsi debet, à quibus casibus & delictis, ad absolvendum concessam & à quibus denegatam seu restrictam potestatem habet.

Nullus Confessarius sive sæcularis sive Regularis Presbyter fuerit, nullus inquam Confessiones Sacramentáles excipere præsumat, nisi prius examen coram Examinatoribus nostris subiverit & capacitatis suæ testimonium receperit; nemo verò sæcularium Sacerdotum ad excipiendas Confessiones approbabitur,

tur, nisi priùs *recollectiones spiritûs* in aliquo Collegio aut Conventu peregerit; & de peractis nobis aut Officio nostro Testimoniales produxerit.

Sint solliciti Parochi in præmonendo populo; ut hic ad peragendas Confessiones suas nullas dilationes faciat, & præsertim post lapsum in mortale. Omnis etenim mora in tali casu est periculosa. Veritas assertionis hujus liquet ex Sacra Scriptura Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum & nè differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius & in tempore vindictæ disperdet te.* Conversionem procrastinatam, seu tarditatem ipsius luxit S. Aug. Lib. 8. Confess. c. 17. Qui seipsum alloquentem allegat sic: *Dicebam cras cras convertar. O vocem corvinam!* Etenim: *Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit.*

Quantùm ad partes essentiales Sacramenti Pænitentiæ; quales sunt Contritio, Confessio, Absolutio, hæc pro Cathechetica praxi annotatur instructio brevis.

Absolutio: Quæ est forma Sacramenti Pænitentiæ, post cujus prolationem à Confessario factam vi institutionis Christi Domini, in ritè dispositis remittuntur peccata, ut debite proferatur; incumbit Confessariis scienda, & potestas sibi concessa, qualiter seu quomodo per approbationem sibi datam extenditur; dignoscenda.

Quibus verò ejusmodi abſolutiò deneganda, ſive differenda eſt; pro capienda hac in re plena ac ſecura notitia, ſummopere incumbant Confeſſarii Lectioni Theologiæ moralis & Caſiſtarum, ut ſuæ & confitentium ſaluti rectè proſpiciant.

Contritio, ſeu dolor delctivus peccatorum duplex eſt. Perfectus & imperfectus. Uterq; id eſt tam perfectus quàm imperfectus dolor ad juſtificationem hominis pænitentis debet eſſe *ſupernaturalis*. Dolor verò naturalis ex motivo temporali & purè ſervilis nihil valet ad cauſandam gratiam ſupernaturalem. Unde attritio ſeu dolor imperfectus ex eo fit *ſupernaturalis*: quia procedit ex motivo ſeu ex fide ſupernaturali, qua credimus DEUM eſſe Vindicem malorum & Remuneratorem bonorum. Attritus etenim verè dolet de ſuis delictis propter pænas Divinitus infligendas *vg.* quia promeruit per delicta infernum, & gloriam cæleſtem amiſit &c. *Contritio*, ſeu dolor perfectus habet pro motivo bonitatem Divinam infinité amabilem, ſeu DEUM ſummè bonum & infinitè in ſe dilectum.

Contritus igitur ex eo dolet & detêſtatur peccata: quia DEUM infinitè bonum, infinitè amabilem, infinité in ſe dilectum offendit. Quod autem attinet ad propoſitum emendationis, illud debet eſſe firmiſſi-

miſſimum, ità ut *nulla occaſione* quantùm quidem per gratiam DEI poſſumus in peccatum relabi velimus.

Attritio ſeu dolor imperfectus, in Sacramento Pænitentiæ cum firmo propoſito ſuppoſita Confeſſione & abſolutione juſtificat peccatorem. Veritas aſſertionis hujus Catholicæ colligitur ex Tridentino: *Si voluntatem excludat cum ſpe veniæ donum DEI eſſe & impulſum Spiritûs Sancti.*

Extra Sacramentum Pænitentiæ ac in defectu Confeſsarii *ſola omnino Contritio perfecta*, ſeu *ſolus dolor perfectus* cum voto datâ primâ occaſione confitendi, ad juſtificationem homini peccatori prodeſt, & *nullatenus protunc* ſufficit attritio.

Meminerint bene Rectores animarum in conſcientia eos teneri: ut in eliciendis ſæpiùs Contritionis aut Attritionis cum propoſito firmiſſimo non ampliùs peccandi actibûs Parochianos ſuos plene inſtructos reddant; motiva, ad conterendos vel atterendos peccatores, adhibeant. Examen quotidianum ab iisdem Parochianis inſtituendum, & fructum exinde provenientem exponant.

Quomodo deinceps in praxi cum recidivo peccatore, inhabituato, occăſiones proximas non vitante, firmum propoſitum non habente, & deniq; indiſpoſito procedendum ſit, & qualia tunc media & motiva

tiva sunt adhibenda ; in talibus circumstantiis specialiter Assistrix Divina Gratia, prudentia ac scientia Confessarii prærequiritur.

Satisfactio, quæ est pars *integralis* Sacramenti Pænitentiæ, est *persolutio pænæ peccatis debitæ* Quævis enim culpa mortalis trahit post se pænam æternam, quæ, *acceptâ absolutione* mutatur in pænam temporalem, aut in recitationem aliquarum precum &c. &c. In certis casibus duplicem satisfactionem exigit DEUS. *Primam*, quâ DEO satisfiat per opus pænosum vel precationem. *Secundam*, quâ proximo satisfiat per restitutionem illius, quod injústè ablatum est. Necessitas satisfactionis comprobatur ex textibus Sæ Scripturæ: Peccaverant Filii Isràël adorando vitulum aureum & murmurando contra DEUM. Ad preces Moysis DEUS illis peccata remisit. Ast in punitionem quadraginta annis debuerant in deserto morari, antequam venirent in terram promissionis Num. 14. Davidi remissum èst peccatum adulterii & homicidii. Ast Nathan in pænam ei dixit, quod affligendus esset in sua familia, ut etiam evenit, nam Filius ei mortuus est &c. &c. 2. Reg. 12. &c. &c.

Ut autem Confessarii munus audiendarum Confessionum *in Confessionalibus* Ecclesiæ, & non in Sacristia, tanto magis *non in cubiculis* peragant, *sub pœnis districtis* prohibemus. In reliquo circa audiendas Confessio-

fessiones administrationemq; Sacramentorum, aut funeralia, depactationes, licitationes, extorsiones illicitas & labe Symoniaca infectas, aut ad labores aliquos per iniquam usurpationem prætextu excipiendarum Confessionum Paschalium ac aliarum ex populo extorsivos, per Canones summè prohibitos, ultra reatum enormissimæ culpæ ex hac summè illicita depactatione aut extorsione, contractæ, sub pænis gravissimis inevitabiliter infligendis, inhibemus.

PUNCTUM SEXTUM.

DE EXTREMA UNCTIONE.

PRovidentissimus mediorum ad salutem Salvator noster & Sacramentorum Institutor, Sacramentum quoq; extremæ Unctionis eo fine instituit: Ut hoc Sacramento Unctionis muniti fortiùs resistant inimicis & ad suscipiendum iter æternitatis sint firmiores. Manifesta hujus defactò instituti Sacramenti Extremæ Unctionis doctrina Catholica deducitur Jacob. 5. cap. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in Nomine Domini, & Oratio fidei salvabit infirmum.*

Muneris est eorum, qui animarum curam gerunt, necessitatem & fructus hujus Sacramenti explicare;

& illum timorem vanum in illis excutere, qui quandoque dum ipſis infirmitate correptis de ſuſcipiendo ejusmodi Sacramento extremæ Unctionis fit mentio, inaniter trepidant. Non eſt enim quod animo cadat infirmus, quem tunc vel maximè infernus oppugnat, dæmones vires ſuas extendunt. Elucet maxima DEI erga nos bonitas à nobis laudanda & adoranda, qua morituris per ſuſceptionem hujus Sacramenti (quæ eſt ab omnibus exoptanda) tribuitur robur, quo ad ferendos morbi acerbos dolores muniuntur. Confortatur anima ut poſſit contra infernales inſidias illô tempore maximas ſtare intrepida. Remittuntur peccáta venialia dicente Jacobo: *Etſi in peccatis ſit, remittuntur ei.* Imo & reliquiæ mortalium, quæ in Confeſſione per oblivionem omiſſæ ſunt, per ſanctam Unctionem delentur, dummodo æger imperfectum ſaltem de iis dolorem eliciat. Sanctitas gratiæ per hoc Sacramentum ægro infuſa amovet reatum pænæ vel totum vel ſaltem partem, quandoq; & corpori ſanitatem adfert.

PUNCTUM SEPTIMUM.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SAcramentum Matrimonii, quòd denotat Chriſti & Eccleſiæ indiſſolubilem nexum, eſt defacto inſtitu-

ſtitutum in lege gratiæ: ait enim Apoſtolus ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Deinde Concil. Trident Seſs. 24. Can. 1mo: Definitum eſt Mátrimonium eſſe Sacramentum, quod omnes Catholici profitemur.

Admonentur ſummopere Parochi locorum; ut *Primo* accedere ad hoc Sacramentum cupientes non ſtatim admittantur, niſi prius in Myſteriis fidei ſufficientiſſimè examinati, eaq; plenè ſcire cogniti fuerint; Orationem Dõminicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, Præcepta Eccleſiæ, Myſterium Sánctiſſimæ Trinitatis, ſeptem Sacramenta, & alia ad ſalutem animæ tam *de neceſsitate medii*, quàm *de neceſsitate præcepti* neceſſaria, obligationes conjugales, & finem educandi prolem, recitare jubeantur. Poſtquam verò iidem Parochi ſuos Parochianos præfata omnia fidei Sæ Myſteria ſciviſſe animadverterint; ad dignè ſuſcipiendum Sacramentum pænitentiæ & Euchariſtiæ inducant, & deinceps ſic munitos, nullo repugnante ipſis impedimento Canonico, matrimoniali benedictione copulent. *Secundò* circa vagabundas ignotasq; perſonas ad matrimonium aſpirantes, ultra ſerium examen ſuper impedimentis, & ultra Literas Teſtimoniales diligentiſſimè inveſtigandas *ſummâ* utantur *prudentiâ* & ad nos aut Officium

nostrum recursum faciant. *Tertio* his tantummodo sponsis, *qui liberè & sponté nulloq; obstante illis impedimento Canonico* ad contrahendum matrimonium accesserint & consensum mutuum verbîs de præsenti disertîs ab audientibus plenè perceptibilibus manifestatum elicuerint, assistant. Hinc si aliquam coactionem veram intervenire deprehenderint à benedictione matrimoniali desistant. *Quartò* Non aliter, nisi tribûs præmissîs denuntiationibûs seu bannis, Diebûs Dominicîs vel Festîs interpolatis, idq; semper *in facie Ecclesiæ propriæ Parochialis, aut si fuerint sponsi diversæ Parochiæ, in utraq;* illorum Ecclesia, proclamatîs, Benedictioni matrimoniali (*nisi aliter à nobis aut Officio nostro dispensatum fuerit*) assistant. Alias contradicentes hac in re mandato SS. Concilii Tridentini Sess. 24. c. 1. de Reform. pænâ *suspensionis* aliisq; arbitrariîs noverint se fore puniendos. *Quintò* Præcaveant tempestivé circa denuntiationes *sobrietatem* tam in sponsis matrimonium contrahentibus, quàm & in adstantibus *Testibus*. Sponsi etenim ut sint memores juramenti sui, assistentes verò sui testimonii, meritò tenentur esse sibi *plenè præsentes*, aliàs temulentis Benedictio denegatur. *Sexto* strictè tenentur iidem Parochi Librum Metrices Copulatorum(*qui debet esse bene compactus*)conservare,in quo legibili & accurato charactere diem, annum, Nomina & cognomina tam contrahentium quàm testium

ac

ac locum unde ſint, toties quoties Benedictioni matrimoniali aſſiſtent, annotabunt & deſcribent. *Indulta*, ſi fortè pro caſu præmentis neceſſitatis á nobis aut ab Officio noſtro *ſemper in ſcriptis*, & in forma authentica plenè probanti exportabuntur; eidem Libro Metrices copulatorum inſerent ad perpetuam rei memoriam.

PUNCTUM OCTAVUM.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Et Oratoriis privatis ac de Presbyteris vagis ad celebrandum Miſſæ Sacrificium, & audiendas Confeſſiones non admittendis.

SAcrificium Miſſæ: eſt oblatio Corporis & Sanguinis Chriſti, quam Eccleſia per Sacerdotes facit DEO ſub ſpeciebus Panis & Vini ad repræſentandum Sacrificium Crucis. Eſt 1mo Miſſæ Sacrificium *Latreuticum*; quia inſtar Holocauſti offertur DEO in recognitionem ſuæ Excellentiæ, ſupremi Dominii, ipſum quoque inſtitutum eſt ad ferendum cultum Latriæ; ſoli DEO debitum. Quatenus verò offertur in gratiarum actionem pro omnibus receptis beneficiis præſertim redemptionis noſtræ, vocatur *Euchariſticum*. Eſt

2do *Propitiatorium*, cujus virtute DEUS nobis fit placatus & propitius, id est movetur ad deponendam justissimam iram suam & indignationem, quam ob nostra peccata concepit. Effectum tamen expiationis peccatorum mortalium quò ad culpam non caũsat immediatè, *sed tantùm mediate & dispositivè* impetrando videlicet specialia gratiæ auxilia, quibus homo disponitur atq; excitatur ad agendam veram de peccatis pœnitentiam, mediante qua per infusionem gratiæ sanctificantis immediatè remittuntur peccata ut patet ex verbis Concil. Trident. Sess. 22. cap 2. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pænitentiæ concedens, crimina & peccata etiàm ingentia dimittit.* Unde docet, quod Sacrificium istud non remittit peccata mortalia immediatè prout facit Sacramentum Baptismi & pænitentiæ, sed tantum *mediatè*, quô mediante impetrantur â DEO peccatoribus gratiæ actuales prævenientes, quibûs excitantur ad agendam *veram pænitentiam*, sicq; ad consequendam peccatorum remissionem virtute perfectæ Contritionis, vel Attritionis cum Sacramento pænitentiæ. Est 3tio *Satisfactorium*, & quidem tam respectu vivorum quam respectu animarum in purgatorio existentium, inquantùm ex opere operato virtute ipsius aliqua pæna, peccatis quò ad culpam jam deletis correspondens, remittitur illis, pro

qui-

quibus hoc Sacrificium applicatur. Sic enim definivit SS. Concil. Trident. *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolicam traditionem offertur.* Et infra Sess. 25. in Decreto de Purgatorio docet: *Animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabilis Altaris Sacrificio juvari.* Ut verò effectus satisfactionis infallibiliter virtute Sacrificii Missæ conferatur illi, pro quo Missa offertur, is debet esse capax ejusdem seu indigere aliqua satisfactione, debet item esse sine peccato mortali & extra statum damnationis. Est 4*to* *Impetratorium* ex eo: quia habet virtutem impetrandi à DEO diversa bona tam Spiritualia quàm etiam temporalia quatenus ad spiritualia conducunt.

Credimus & firmissimè profitemur omnes Catholici in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima & Divinitate Domini nostri JESU Christi; fieriq; conversionem totius substantiæ Panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fatemur etiam sub alterá tantum specie totum & integrum Christum verumq; Sacramentum sumi.

Scitu & observatione necessaria sunt sequentia.

1mum

1mum eſt: quod auditio Miſſæ Diebûs Dominicîs & Feſtivîs ſit præcepta ſub peccato mortali. Unde etiam ſi quis per irreverentiam & evagationem, notabilem partem *vg.* per mediam Miſſam aut etiam tertiam partem vincibiliter diſtrahitur fabulîs, circumſpectionibûs, aut aliis nugis, quoties inquam ſic vincibiliter diſtrahitur, toties peccat mortaliter. *2dum*: quod afficit in conſcientia Parochos, quòd hi juxta Decretum Sæ Congregationis Concilii Die 8va Februarii 1716 Annô declaratum, *Diebûs Dominicîs, aliisq; Feſtîs* pro Populo ſuo Parochiano Miſſæ Sacrificium applicare teneantur. *3tium eſt*: Inhibemus ſub pænis graviſſimis tam ſæcularibus quàm Regularibus Presbyteris: *ne ipſi in privatis Oratoriis* in Domibus Laicorum tremendùm Miſſæ Sacrificium celebrare præſumant, niſi priùs de Indulto Apoſtolico á nobis in forma authentica admiſſo plenè certi & inſtructi reddantur. Revocamus ipſis in memoriam Conſtitutionem SSmi Domini noſtri Domini BENEDICTI hujus Nominis XIV. feliciter Eccleſiam ad præſens gubernantis, de tollendis abuſibus ab Oratoriis privatis, quæ ſunt in Domibus Laicorum ad Primatem, Archi-Epiſcopos & Epiſcopos Regni Poloniæ (quæ ſic incipit: *Magno cum animi noſtri dolore à nobis intellectum*) ſub Datum ex Arce Gandulphi Die 2. Junii 1751.

Ponti-

Pontificatûs Anno IImo emanatam. Cui Constitutioni Apostolicæ Decretum quoq; felicis recordationis CLEMENTIS Papæ XI. quod sic incipit: *Nonnulli Episcopi* & complures Regulares, &c. est annexum.

Dispositioni SS. Canonum adhærendo omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus tam sæcularibus quàm Regularibus, Commendariis, Vicariis, ac aliis Presbyteris Authoritate nostrâ Ordinariâ districtè præcipimus: *Nè ipsi vagos quoscunq;, ignotos, & quidem sæculares sine Testimonio de vita & moribus ac sine Formatitiis promotionis ad Ordinem Presbyteratûs, Regulares verò sine Literis obedientialibus & Commendatitiis suorum Superiorum cujuscunq; Ordinis & Instituti ad celebrandum Missæ Sacrificium; neq; ad audiendas Confessiones sine expressa licentia & approbatione nostra in scriptis, aut nostri Officii, admittant.*

PUNCTUM NONUM
DE VITA & HONESTATE CLERICORUM.

QUibûs præditi moribûs & quâ conversatione debeant esse Clerici? vel ipsa nominis indicat notio. Cùm enim Clerici dicantur ex Græca voce qua-

si de sorte vel in sortem Domini vocati, decet (Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. de Reform.) Eos omnino vitam moresq; suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisq; omnibus rebûs nil, nisi grave, moderatum ac Religione plenum præseferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis adferant venerationem. In purissimis & mundissimis illis Mysteriis Divinis in quibus versantur, sole puriores & nive cándidiores quovis tempore reperiri tenentur. A crapula & ebrietate (quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est, Can. fin. Distin. 35.) abstineant, tabernas & vagas domos evitent. Ab omni avaritia, lusibus, ludis, ac inhonestis spectaculis, à negotiis & commerciis sæcularibus sint penitùs alieni. Habitum suo Ordini congruentem deferant, conversationes illicitas, aliosq; actus prohibitos tanquam faciem colubri aufugiant. Rebus Divinis, obligationibusq; suis, quibus funguntur, lectioni Librorum Theologiæ, Casistarum, Catechistarum, Ascetarum, Concionatorum aliorumq; spiritualem materiam tractantium assidui vacent. Et deniq; præclaram admonitionem S. Concilii Tridentini Sess. 2. in Decreto de modo vivendi amplectantur; Ut inquam ab omnibus criminibus, imò ab omni eo, quod speciem criminis ha-

habet, vel alteri scandalo esse potest, omni diligentiâ sibi caveant & abstineant.

Attendite igitur Sacerdotes Ministri DEI & dispensatores Mysteriorum DEI: ad quem & quantum dignitatis & præeminentiæ gradum evexit vos DEUS. *Vos estis lux mundi, vos Dii estis, Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis, Angeli Domini Exercituum, sors & pars Domini.* Sed etiam scrutanda est vobis omnino illa veritas infallibilis Scripturæ: *Omni, cui multum datum est, multum quæretur ab eo* Luc. 12. *Attendite, quinimo perhorrescite: durissimum Judicium his qui præsunt. Obsecro itaq; vos, fratres per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens & perfecta.* Ad Rom. Cap. XII.

PUNCTUM DECIMUM.

DE ORDINANDIS

Et apponitur Constitutio fel. mem.

INNOCENTII PAPÆ. XII.

TRia sunt, quæ pro Seminariorum Alumnis à SS. Concilio Tridentino sunt sancita: Pietas, Exercitatio-

tationes ac studia Clericis aptè convenientia. Sic etenim allegâtum SS. Concilium Sess. 23. cap. 18. de Reformat. sancivit : *Cùm Adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari propemodum DEI Omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit* &c. &c.

Sanctus Carolus Borromæus cùm Seminarium suum instituerct hîs verbîs ⁎ Par. 3. cap. 1. usus est: *Sunt igitur ea potissimum de causa Seminaria erecta, ut in iis boni, strenuiq; operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur: & ii quidem Adolescentes [qui ob ætatem, cùm tenera sit, & proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas, in operibus virtutum erudiri debent) ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui Doctores populorum futuri sunt, elucere debet, & severioribus disciplinæ legibus coërcendi.*

Concilium Provinciale Aquilejense Anno 1569. celebratum sic concludit : *Seminariorum institutionem, conservationem, & promotionem, in Ecclesia DEI summè fructuosam, qua Clericalis militiæ propagatur ordo, & progressio, tantopere necessariam esse constat, ut stare Ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio & adminiculo vix possit.*

Patet evidenter, quanta cura & solicitudo impendenda

denda est ab eis, qui rectæ Institutioni Clericorum invigilare vi muneris suscepti tenentur, illisq; præsunt. Constat deinceps manifestè ratio strictissima afficiens hos, quorum enixissimæ attendentiæ, Clericorum in pietate, acquirendis moribus, & in Ecclesiastica disciplina profectus; in studiis Cæremoniisq; Ecclesiasticis ac aliis obligationibus exercitium est præcommissum. Argumentum enim totius vitæ laudabilis & exemplaritatis, ac Officii in Clero ad peragenda ritè munia, fructuosi, zelus in cura animarum, Librorum spiritualium Theologiæ ac Casistarum lectioni invigilantia, ab educatione in Seminario multum pendet. Quod enim recens imbuit animus, servat diu.

Ad evitandas fraudes aliquas circa testimoniales Literas natalium, vitæ & morum, revocamus in memoriam dispositionem hac in re SS. Concilii Tridentini sess. 23 cap. 5. de Reform. Executioni demandatam, juxta quam, ut per Rectores Ecclesiarum Parochialium, sub quibus originem promovendi acceperunt, aut domicilium eorum Parentes habent publicè aliquo Die Dominicô vel Festô *ex Ambona* coram populo ad Divina audienda congregato nomina & cognomina eorum proponantur, & de vita, moribus ac aliis requisitis qualitatibus à fide dignis diligenter inquiratur, Testimoniumq; ab iisdem Rectoribus super præmissis sufficienter expressum ad De-

canos Foraneos, in quo territorio exiſtunt, manu ſua ſubſcriptum remittatur, qui Decani *veritate narratorum & ſubſcriptionis recognita* idem Teſtimonium per ſe legaliſatum *aſpiranti ad Ordines* conſignent.

Ad evitandum deinceps modum ſortiendi domicilii per juramentum ſuper non deſerenda Diæceſi, nè inquam talis modus irrepere aut irrepſiſſe aliquando videatur, apponitur Conſtitutio fel. mem. INNOCENTII PAPÆ XII. omnino obſervanda, cujus tenor ſequitur talis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

AD perpetuam rei memoriam. Speculatores Domûs Iſraël, quæ eſt ſancta DEI Eccleſia, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, eò potiſsimum ab ipſis Pontificatûs noſtri primordiis, Paſtoralis vigilantiæ noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus, ut qui in ſortem Domini vocantur, ſacriſq; addicuntur Miniſteriis, quippe quos irreprehenſibiles eſſe convenit, ut præeſſe valeant corrigendis, ac in quos tanquam in ſpeculum oculos reliqui conjiciunt, ex iiſq; ſumunt, quod imitentur, tales ſint, qui dignè poſsint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos, quàm fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ. Sanè hoc inito conſilio,

non

non alios, quantum fieri potest, quàm qui in sanctitate & justitia, per ordinatissimos Ecclesiasticæ militiæ gradus, statis intervallis ambulaverint, ac piè & fideliter in Ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, sacrasq; Ordinationes, juxta priscum Ecclesiæ morem; præscriptîs à Jure temporibûs, Orationi & jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quandam in concedendis Indultis suscipiendi sacros Ordines extra tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis, minimè servatis, ultrò nobis proposuimus adhibendam rationem, quâ videlicet servatâ, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes discipuli, simul ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantùm juxta constitutas à majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi, ad sacrarum Administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem, diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur. Cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parciùs quidem, & ex certis tantum & magis rationabilibus causis concedere decrèvimus: Contrariâ quâvis illorum interpretatione penitùs improbatâ, salutarem illam, quam Sacri Generalis Trident. Concil. Decreta de non ordinandis ad Patrimonii titulum, nisi tantùm illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam nequaquàm relaxatam intelligi, quinimò nè unquam ad Indulta hujusmo-

di

di exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissimè oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus, sperantes in Domino eos, qui juxta Apostoli monitum: Nemini citò manus imponendas esse probè norunt, sibi & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam DEI, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis Ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere præripi passuros quæ vita probata duntaxat accipere promeretur. Omnes insuper & singulos cujuscunque tandem gradûs, ordinis & dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia, sacros Ordines præfatos, extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consvevit, cùm Divinos Ordines largiri, districti semper judicii oporteat, seriò monitos volumus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus, terminos religiosè custodiant, nec eos cujusvis consvetudinis, aut exempli prætextu ullatenus transgrediantur; verùm quò impensiùs Apostolicæ Gubernationis curam, & cogitationes in hoc intendimus, eò majori cum animi nostri dolore, & quam plurium venerabilium fratrum nostrorum Archi Episcoporum & Episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in sancto, sacrilega scilicet illorum impudentiâ indies crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsan à propriis Præsulibus denegatos, seu quos aliquibus Canonicis sibi obstantibus impedimentis denegari meritô verentur, ab alienis

Episco-

Episcopis, non quæ JESU Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, oves, in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot Canonicas damnationes, contra usurpatores alienæ plebis homines latas perhorrescentibus, absq; suorum Prælatorum commeatu, hoc est in Dimissoriis, Commendatitiisq; eorum literis destituti, quinimo iis inscìis, & sæpè etiam invitis, sub minùs legitimis Beneficii Ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuæ ordinantium Episcoporum commensalitatis, quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem & contemptum, illegitimè suscipiunt, atq; ita non intrantes per ostium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, Sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absq; misericordia sibi conscìscunt, DEOq; minimè placentes, & placare tamen velle præsumentes, non modò eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret. Hinc est, quod Nos ex commissæ nobis Divinitùs Apostolicæ Servitutis munere, abusus, fraudes, & scandala hujusmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac irreligiosam contra facientium audaciam, quantùm nobis ex alto conceditur, compescere & reprimere volentes, nec non fel. rec. URBANI VIII. contra malè ordinantes & malè ordinatos, quæ incipit: Secretis &c. aliquorumq; Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Constitutionibus & Ordinationibus inhærentes, illasq; quo ad ea, quæ præsentibus non adversantur. quatenus opus sit invocantes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ejusdem Concil. Trid. interpretum, qui quæcunq; antehac super præmissis,

ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita Decreta, declarationes, seu responsa, ad earundem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & ex matura deliberatione nostris deq; Apostolicæ Potestatis plenitudine, ad omnipotentis DEI Gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, populiq; totius Christiani ædificationem, hac generali nostrâ & perpetuò valiturâ Constitutione decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seu cuivis Loci Ordinario, tametsi Cardinalatûs honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis, domicilii, juxta modum inferiùs declarandum, legitimê contracti, non subditum, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu etiamsi Beneficium prædictum de novo, eâ expressè adjecta Lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem Characterem susceptum ad illud instituatur. Præterea Clericum, qui legitime à proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo; ratione, ac titulo cujuscunq; Beneficii, in illius Diæcesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem, testimoniales Literas proprii Episcopi, tam originis, quàm domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easq; Episcopo ordinanti, in actis illius curiæ conservandas exhibuerit. Licet verò Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diæcesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi;

scopi; in cujus Diæcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen hac in re inconcussè servari volumus regulam, ut nemo. subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditûs, ut ad congruam vitæ sustentationem juxta taxam synodalem, sive eâ deficiente, juxta morem Regionis, promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublatâ quâcunque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus, in eadem seu alia quavis Diæcesi obtineret, ac Episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus Literis, quàm de reditu hujusmodi Beneficii, expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. Cæterûm subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diæcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo ibi natus non fuerit, ex accidenti occasione, nimirùm: itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Parentis in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quodsi quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti sicut præmittitur, natus moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus Loci Literas testimoniales ut supra obtinere, illasque Episcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo

mo permanserit, ut inibi verè domicilium de Jure contraxerit, tùnc origo Patris, vel domicilium per Patrem legitimè ut præfertur Contractum, pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines, is tantum censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen stabiliter adeò constituerit in aliquo loco: ut vel per decennium saltem in eo loco habitando, vel majorem rerum, ac Bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibiq; insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superq; suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominùs ulterius utroq; casu se verè & realiter animum hujusmodi habere, Jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quâ potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii originis suæ testimoniales Literas, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio susceptorum Ordinum Literis facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diæcesis subditum familiarem suum, ad aliquos sacros seu minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, absq; ejus proprii originis scilicet, vel domicilii Prælati testimonialibus Literis, ut supra, & nisi ad præscriptum Concil. Trid. præfati sess. 23. c. 9. de Reform familiarem prædictum, per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit: Benefi*cium insuper, quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superiùs præfinitum sufficiat, quacunq; fraude cessante, statim, hoc est saltim intra terminum unius Mensis, à die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat ac inordinationis hujusmo-*

di

di testimonio, expressam itidem familiaritatis ac Literarum prædictarum mentionem facere teneatur. Porro ut quicunque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Authoritate Apostolica statuimus, atq; decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos, quoscunq; ab alienis Episcopis quàvis Authoritate etiam cum suis Commendatitiis Literis promotos, nè dum ad formam Concilii Tridentini suprascripti Sess. 14. cap. 3. de Reform. quò ad scientiam examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis Collatorum testimoniales Literas gratis tamen recognoscere, ac diligenter perquirere, an quò ad illos præsentis Constitutionis forma & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti, ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento ita, ut quos eo termino elapso; id minimè præstitisse compererit, à susceptorum Ordinum exercitio, si ita & quamdiu expedire ei videbitur, suspendere, illisq; nè in Altari, aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit. Ita verò præmissa omnia & singula perpetuò, ac inviolabiliter observari, atq; adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis; seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem à Collatione Ordinum per annum, ordinatus verò à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisq; gravioribus insuper pænis pro modo culpæ, nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterq; subjaceat. Decernentes pariter easdem Literas præsentes, semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tem-

 pore

pore quandocunq; spectabit, in omnibus & per omnia, plenissime & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscunq; Judices ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuntios, aliosvè quoslibet quacunque præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi Facultate & Authoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quopiam quavis Authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, aut quâvis aliâ firmitate roboratis statutis & consvetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & Literis Apostolicis, sub quibuscunq; verborum tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusq; & aliis Decretis, etiam motu, scientiâ & potestatis plenitudine paribus, in genere; vel in specie, seu aliàs quomodolibet, in contrarium præmissorum concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda ad hoc foret, illorum omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur & insererentur, nihil penitùs omisso, & forma in illis traditâ observa-

servatâ, eisdem præsentibus pro expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus: Cæterisq; contrariis quibuscunq; volumus autem, ut præsentes Literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur; sicq; publicatæ & affixæ, quos illæ concernunt, perinde arctent & afficiant, ac si unicuiq; eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent, quodq; earundem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii subscriptis, & Sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubiq; adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, & ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Decretorum nostrorum, declarationis, voluntatis, statuti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum: Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, pridie Nonas Novembris, Pontificatûs Nostri Anno quarto. B. Card. Prodatarius J. F. Card. Albanus visa de Curia Sacripantes Locus † Plumbi D. Campinus Regestrata in Secretaria Brevium. Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1694. indictione secunda Die 6. Mensis Novembris, Pontificatus autem SSmi in Christo

Pa-

Patris, & Domini Nostri INNOCENTII, Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno 4. supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranen. Basilicæ Principis Apostolorum & Cancellariæ Apostolicæ, in Arce Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consvetis Urbis per me Thomam Orlandum, ejusdem SSmi D. Nostri Cursorem. Franciscus Antonius Simoncellus Magister Cursorum.

PUNCTUM UNDECIMUM.

DE PRÆDICATIONE VERBI DEI.

POstquam constitutum fuit à Concil. Trident. Sess. 5. c. 2. de Reform. Omnes Ecclesiarum Prælatos teneri ad prædicandum sanctum JESU Evangelium continuò hæc inculcantur: *Quicunq; Parochiales, vel aliâs curam animarum habentes per se vel per alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, Diebûs saltem Dominicîs & Festîs solemnibûs plebes sibi commissas pascant salutaribûs verbîs docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ne illud impleatur: Parvuli petierant panem, & non erat, qui frangeret eis.*

Est Theologorum constans assertio arguens peccati mortalis eos, qui susceptâ curâ animarum commissum sibi gregem in necessariis ad fidem & salu-

tem

tem æternam consequendam instruere negligunt. En vobis Rectores animarum clarus Scripturæ textus firmiter menti & cordi vestro imprimendus Ezech. c. 3. *Fili hominis speculatorem dedi te Domui Israël. Audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis, ex me. Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Binæ vobismet curatis propositiones æternæ veritatis exponuntur. *Prima est*; quòd ex justitia stricta ad instruendum gregem vestrum in Mysteriis fidei & mediis ad salutem necessariis explanandis, teneamini. *Altera est*; quod pro animabus curæ vestræ commissis ad strictam Omnipotenti DEO rationem inevitabiliter reddendam stringamini. Ex hac utraq; certa ac infallibili propositione præmissa infertur & necessario concluditur veritas sequens: ut munus & Officium vestrum, ad quod vocati & assumpti estis, rectè impleatis.

Ante omnia, vos omnes qui prædicandi Officium ex munere suscepistis, satagite ut vos optimîs vitæ vestræ moribûs præditos exhibeatis. Etenim virtus atq; integritas morum, quibûs Concionatores exornantur, maximum sermoni pondus adjiciunt. Hinc S. Augustinus Lib. de doctrina Christiana c. 17. *Habet ut obedienter audiatur quantacunq; granditate dictionis, magnum pondus vita dicentis.* Ven. Beda ea verba, quæ apud S. Matthæum habentur: *Loquebatur tanquam*

potestatem habens, sic interpretatur: *Sermo docentis in potestate fit, quando, quæ docet, operatur.* E contra, perniciosa morum licentia in & à Concionatoribus sive Catechistis detestanda omninò est: ait enim S. Gregorius: *Quod per lingvam prædicamus, per exempla destruimus, dum iniqua docemus operibus, & sola voce, quæ justa sunt prætendimus.* Et Canone: Multi. Dist. 40. *Benè vivendo, & benè docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; benè autem docendo & malè vivendo, DEUM instruis, quomodo te debeat condemnare.*

DEUS quoq; illos, qui recta docent, & iniqua agunt, sic objurgat: Peccatori autem dixit DEUS: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam* Psal: 49.

Est igitur practica, & utinam indefessò zelô practicanda instructio sequens pro iis qui animas regunt. *Primò*; ut saltem *Diebus Dominicis & Festivis* ad Populum Catecheses faciant, & ad perfectionem vitæ Christianæ per sua opera bona, mores & exempla, ac sanam doctrinam, populum inducant. Ait enim S. August. Lib. de Trinit. cap. 1. *Catechismus est instructio divinitus data utilis ad docendum & arguendum ut perfectus sit homo.* Catechismus verò ex vi nominis: est explanatio eorum quæ scire debet Christianus & credere. *Secundò* Catecheticè prædicandi Officium, quo funguntur, ritè exequantur, nimirum ut sacram Scriptu-

ptura ri interpretentur eô sensû, quem Catholica Ecclesia & consentiens SSrum Patrum auctoritas comprobavit. *Tertio* Non ostentandæ quandoq; doctrinæ & eloquentiæ causâ perplexas, ineptas, inanes, aut difficiles quæstiones proponant, sed ad plenam audientium intelligentiam, instructionem, ædificationem, eá, quæ referuntur ad necessitatem *medii* & *præcepti*, ad vitia & pravas consvetudines extirpandas, explanare conentur. *Quarto* ad amorem DEI & proximi, ad deflenda peccata cum firmissimo proposito illa vitandi, ad profectum de virtute in virtutem, ad mores & disciplinam Christianam instituendam, observationem præceptorum DEI & Ecclesiæ, ad amplectenda Consilia Evangelica gregem suum accendant. *Quinto* Indulgentias tantummodo illas, quæ à Nobis aut Officio nostro admissæ sunt, & non aliter, ex ambona publicent. *Sexto* Vigilias, Tempora ac imminentia de septimana in septimanam Festa ad Populum celebria denuntient. *Septimo* Bullam Cænæ Domini *ter de quovis Anno*, videlicet Dominicâ primâ Adventûs, Dominicâ primâ Quadragesimæ, & Die Cænæ Domini in sua unusquisq; Ecclesia Parochus aut ejus Vicarius intimet. *Octavo* Finita Concione aut Catechesi Actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, & aliàs Confessionem generalem in postillis Evange-

liorum impressam elicere, & devotè cum populo recitare non prætermittant.

PUNCTUM DUODECIMUM.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

CHristus Salvator noster exemplum dedit nobis ut quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Jejunavit ille quadraginta diebus in deserto, ut nobis ostenderet quomodo oportet munire animam contra insultus dæmonis. Jejunium est salutare animabus & corpori proficuum. Ait enim S. Chrysostomus in die cinerum: Jejunium esse remedium à Salvatore relictum pro castigandis peccatis.

Tempus, qualitas, & quantitas jejunii est omnino ad satisfactionem præcepto servanda. Adeoq; non tantùm requiritur abstinentia à cibo prohibito, sed etiam quantitas cibi usualis pro tempore jejunii concessa & tempus refectionis servari debent. Ad servandam quantitatem cibi jejunalis pro tempore Quadragesimæ, Vigiliarum, Quatuor Temporum unica tantùm comestio in die omnino exigitur, ad quam servandam omnes ab anno vigesimo primo ætatis suæ sub peccato mortali sic jubentur, ut in prandio, semel de

die

die tantùm, vespere autem) exigua refectione sumpta uti teneantur; nisi fortè ætas, servile opus, debilitas, infirmitas & aliæ *rationes* validissimæ in conscientia aliter permiserint, aut cum scitu jurisdictionis spiritualis ob causas legitimas aliter dispensatum fuerit. Animarum Rectores tractantes materiam Catecheticam de qualitate & quantitate ac tempore jejunii servandis, doctrinam moralem adhibeant, ut jejunium hoc non tantùm in corpore, privando illud deliciîs sensuum, sed etiam in spiritu servetur. Unde spiritualiter jejunantes per humiliationem animarum ad deploranda & diluenda præterita delicta, ad impedienda scelera præsentia, ad resistendum suggestionibus diaboli securis, firmiùs armantur. Et deniq ut svadet rectè S. Chrysostomus: *Totus jejunet homo, cujus lingua jejunet à detractionibus, blasphemiis, &c. Oculus jejunet à lascivis aspectibus. Auris jejunet à pravis sermonibus audiendis. Pedes jejunent à locis prohibitis. Cor jejunet à rancore, ab invidia, contra proximum &c. &c. Ut cum carnalium restrictione epularum nobis, à noxiis quoq; voluptatibus temperemus.* Ita Chrysost. Homil. 3. ad P. p.

PUNCTUM XIIITIUM.
DE INDULGENTIIS.

EXtat defacto ingens ac infinitus meritorum Chri-

 sti

ſti Theſaurus. Extant merita Beatiſſimæ Virginis MARIÆ & aliorum Sanctorum, maximè verò Martyrum ex præclaris ſuis operibus, quibûs meritîs idem Theſaurus eſt auctus. Summus Pontifex, cui datæ ſunt claves juxta illud Matth. 16. 19. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum. Quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis:* Habet poteſtatem ex hoc Theſauro *primariò* ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti, *ſecundariò* ex meritis Beatiſſimæ & Sanctorum conflato, facere gratiam huic vel illi fideli applicando ipſi hæc merita in articulo mortis, vel etiam dum orat certum quid, jejunat, dat eleemoſynam &c. &c. Indulgentia in re: *eſt remiſsio pœnæ temporalis*, quam propter culpam ſuam aliquis meritus eſt. Ad lucrandas Indulgentias requiruntur conditiones ſequentes. I. Ut lucraturus ſit baptiſátus. II. Ut ſit in gratia DEI ſaltem tunc quando opus præſcriptum complet. III. Ut nihil omittat eorum, quibus eſt annexa Indulgentia. Eſt deniq; Regula univerſalis: Hoc requiritur ad lucrandas Indulgentias, quod in Bullis Pontificiis eſt expreſſum tanquam ſubſtantia. Ad explicandos fructus Indulgentiarum Fideli Chriſti Populo tenentur Parochi. Sunt etenim ſummopere Nobis omnibus neceſſariæ Indulgentiæ: quas prætermittere non debemus; quinimo *Indulgentiam illius fuſis lachrymis poſtulemus & humiliemus illi* (id eſt DEO Noſtro Miſericordiſſimo) *animas noſtras.*

NB.

NB. Modus cum præſcripta forma & poteſtate applicandi Indulgentias *pro articulo mortis* omnibus & ſingulis Diæceseòs noſtræ tam ſæcularibus quàm Regularibus Presbyteris ſubdelegata, ſub ſuo ſeorſivo puncto apponitur infra.

PUNCTUM XIVTUM.

De pluralitate Beneficiorum.

CIrca incompatibilitatem Beneficiorum, & exoſam aviditatem eorum, qui plura ſimul beneficia incompatibilia abſque diſpenſatione Apoſtolica tenere non verentur, quæ ſit diſpoſitio executioni demandata; clarè & evidenter colligitur ex SS. Concil. Trid. Seſs. 7. cap. 4. & 5. Cui nos diſpoſitioni uti firmiter debere obedire mandatis ex munere noſtro recenſemur; ita ordinariâ quâ fungimur authoritate, demandamus omnibus & ſingulis Prælatis, Canonicis, Parochis plura Beneficia incompatibilia retinentibus: *Ut in ſpatio quatuor menſium ab intimatione præſentis Epiſtolæ noſtræ Paſtoralis computandorum* Diſpenſationes Apoſtolicas ſuper retentione talium Beneficiorum nobis producant & comportent. Aliàs cum carentibus Diſpenſatione Apoſtolicâ, juxta præſcriptum à SS. Concilio

cilio

cilio Tridentino, Locîs citatîs modum, vi Officii noſtri inevitabiliter procedemus.

PUNCTUM XVTUM.

De Reſidentia Parochorum.

AD Reſidentiam *Perſonalem*, ſeu perſonale debitum *per ſe* præſtandum Parochos ſtrictè teneri plenè concludunt Jura, demandant Canones. Cùm enim Beneficium detur propter Officium *c. fin. de reſcriptis in 6* Ideo nullus ad Beneficium Eccleſiaſticum adſumendus eſt, niſi quis in loco ejusdem reſidere & *per ſe* deſervire poſſit. *c. 3. & 4 h. t.*

Perſonalis hæc in Beneficiatis Reſidentia & Miniſterium *perſonale* in Paſtoribus, qui curam animarum habent de Jure naturali & Divino juxta Leſs. 2. de Jure & Juſt: *cap 34. Dubitat.* 34. requiritur.

In ſubjecta materia *perſonalis ejusq; fructuoſæ Reſidentiæ* in Paſtoribus requiſitæ, patitur exceptionem illa regula Juris, quòd quis poſſit per alium facere, quod per ſe ipſum poteſt. In collatione etenim Beneficii quivis beneficiatus eſt *perſona de induſtria electa, c. Is cui de Offic. Jud. delegati in 6. Nam opera unius non eſt opera alterius. L. Si non ſcrtem §. Libertus D. de Condict. indebiti.* Ut verò fuſiùs ſtricta ad reſidendum obli-

obligatio in retinentibus Beneficia eandem *Residentiam personalem* requirentia ex ipso fonte manifestetur? allegatur hac de re Decretum SS. Concilii Tridentini sessione vigesima tertia capite primo de tenore sequenti.

Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, Oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre; Verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplô pascere, pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere; & in certa munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factiq; forma gregis, in judicio & veritate pascant, & regant. Ne verò ea, quæ de residentia sanctè & utiliter jam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt in sensus à sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibûs continuîs abesse liceat, illis inhærendo, declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus, Ecclesiis, quibuscunque quocumq; Nomine & titulo præfectos, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diæcesi residentiam, ubi injuncto sibi Officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis & modis infra scriptis. Nam cùm Christiana Caritas, urgens necessitas, debita

obedientia ac evidens Ecclesiæ vel Reip. utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant, decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas à Beatiss. Rom. Pont. aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit in scriptis esse approbandas, nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus, & Reip. Officium Episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eundem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis à se vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo Jure abutatur: & ut pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere: & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absq; ullo gregis detrimento, quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cum DEO corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pente-

costes

coſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia ſuæ Diœceſis eos aliò vocent. Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra hujus Decreti diſpoſitionem abſuerit; ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas adversùs non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tutâ conſcientiâ, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe: ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum, illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare probibitâ quâcunque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuscunq; Privilegiis, cuicunq; Collegio; aut fabricæ conceſsis.

Eadem omninò, etiam quò ad culpam, amiſsionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscunq; qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen ut, quandocunq; eos, causâ prius per Epiſcopum cognitâ, & probatâ, abeſſe contingerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſsignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſq; concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa non obtineant. Quodſi, per edictum citati etiam non

personaliter, contumaces fuerint liberum, esse vult, Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaq; Juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere. Nec executionem hanc, quolibet Privilegio, Licentiâ, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscunque beneficii, pactione, statuto, & juramento vel quacunq; auctoritate confirmato, consvetudine & immemorabili, quæ potiùs corruptela censenda est, sive appellatione, aut inhibitione, etiam in Rom: Curia vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse. Postremò, tam decretum illud sub Paulo III. quàm hoc ipsum in Conciliis Provincialibus, & Episcopalibus publicari Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeò ex Pastorum munere, animarumq; salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibusq; infigi, ut in posterum, DEO juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desvetudine aboleantur.

Unde circa Residentiam in beneficiis curatis ritè adimplendam veniunt hæc sequentia puncta in ordine ad quietandam conscientiam intùs scrutanda.

Primo. Ut qui, residentiæ legem, quam SS. Concilium Trident. locô supra citatô, ac SSmi Pontifices tantopere commendant, atq; præcipiunt, adimpleat, non satis est ut corpore solùm intersit, in desidia tamen versetur, vel tantùm leviora munia sibi desumat, reliqua verò Ministris committat. Etenim residentiam non cum inertia, *sed cum laboribus conjungendam esse* Tridentina Synodus jubet. Hac in re Patres

tres Aquileiensis Concilii Anno 1596. rectè veritatem sequentem perpenderunt: *Quod de residentia à Sacro Tridentino Concilio & summorum Pontificum constitutionibus cautum est, hoc non est intelligendum, ut; præsentia assideant, nihil præterea agant, cum ex sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa non otiosa:*
Hinc Parochos desides otioq; marcescentes lethali crimini obnoxios esse, & pro gravitate culpæ plectendos Anacletus Reiffenstuel optimè perpendit. *Tit. Decretal. de Clericis non residentibus §. 3. n. 85. & duobus. seq.*

Secundò. Causæ à residentia quandoq; excusantes, à SS. Concilio Trident. *c.* 1. *Sess.* 23. *de Reform.* allegantur sequentes, videlicet Christiana Charitas, urgens necessitas, obedientia, & utilitas in Ecclesiam vel Rempublicam derivata. Neq; tamen satis est habere quandoq; allegatas causas, ut quis Parochorum à sua paræcia abesse possit, sed requiritur omnino ut ejusmodi causæ *propriori* Episcopo exponantur: *Consensusq; Ordinarius exquiratur, prout idem Concilium locô citatô decrevit: Ita tamen ut quandocunq; eos causâ priùs per Episcopum cognitâ & probatâ abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisq; concedendam ultrà bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant.*

Tertiò. Teste præclarissimo Fagnano, capite: *Extirpanda §. qui verò n.* 11. *de Præbendis: Sacra Congregatio con-*

sulta, an Parochus teneatur residere etiamsi essent in illa Parochia tres tantùm vel quatuor Incolæ, respondit teneri.

Quartò. Bonhomus Vercellensis Episcopus Pontificum jussu postquam plurimas Diæceses perlustraverit, Libellum in lucem edidit, qui varia Decreta super Ecclesiastica Reformatione complectitur; idem titulo de Parochis sic inquit: *secum ipsi* (puta Parochi) *recogitent, parum esse personaliter residere, ut Canonum pœnæ evitentur, nisi etiam ipsimet munera sibi suæq; fidei & curæ credita omni præstent religioso Officio ac Charitate ut Divinam effugiant ultionem. Quanquam igitur coadjutores habere eis licet, immo verò, ubi frequentia populi id exigit, necesse est, ipsi tamen per seipsos populum sibi in curam custodiamq; traditum pascere ne recusent, negligantve.*

PUNCTUM XVITUM.

De Decanis Foraneis & Congregationibus Decanalibus.

I. MUneris DD. Decanorum sive Archipresbyterorum est, *qui in partem sollicitudinis nostræ Pastoralis* assumpti & vocati sunt, ut in suo Decanatu speculatores constituti, propinquiùs observent, & explorent vitam, mores, & actiones Cleri suæ animadversioni commissi. Hinc si aliquem à recto statûs

& of-

& officii sui tramite aberrantem animadverterint, subaudiverint, compererint, præprimis talem privatim inter se & illum ipsum fraternè admoneant, & casu quo non se emendaverit, in Congregatione cum senioribus Confratribus reprehendant, quodsi demum nec sic resipuerit, cum summaria informatione illum ad nos deferant.

II. Incumbit insuper DD. Decanis Foraneis vigilem operam dare: ut sui Condecanales inhonestam cum diverso sexu conversationem aversentur, Domi suæ aut extrà, suspectas mulieres non foveant, tabernas & hospitia ad compotandum, choreas, non visitent, nec adeant: sobrietatem observent, cum muliere in uno curru quascunque conficere vias, nunquam patiantur. Supellectilem sacram etiam in urgentissima suæ Ecclesiæ necessitate, citra expressam licentiam à nobis obtentam, non vendant, non oppignorent, non alienent. Præterea, ab usura & labe simoniaca sint alieni, in administrandis Sacramentis (ne aliás eorum culpâ, aut infans absq; Baptismo, aut adultus absq; pænitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis Sacramento moriatur) vigiles, prompti ac assidui, & in prædicatione Verbi DEI in Concionibus, videlicet Catecheticis, in Catechesibus omnibus, signanter Diebûs Dominicîs & Festivîs ad populum præparatoriè & fructuo-

sè

sè dicendis operosi, in adimplendis obligationibus ex fundatione susceptis accurati, in vindicandis censibus, Juribus, Decimis, & quibusvis Proventibus Ecclesiam concernentibus, vi Juramenti penes institutionem sui præstiti, sint diligentes, de anno in annum ejusmodi vindicationem non retardantes, ædificia Plebanalia in ruinam tendere non permittentes, quinimò ruinis tempestivè occurrentes, bona, ædificia, Fundos, Proventus Ecclesiasticos (quorum non Domini & Hæredes sed Administratores & Dispensatores sunt) non dissipantes, non dilapidantes. Sacramentum matrimonii subditis alterius Parochiæ, non obtenta priùs à proprio illorum Parocho licentiâ administrare nunquam præsumant, ab Ecclesia sua non se absentent, sed penes fructuosam sui Residentiam susceptum munus Parochiale continuò exerceant. Quodsi verò in aliquo ex præmissis Condecanales deviaverint puncto, aut in illis debitè observandis negligentes fuerint; nullâ prorsùs adhibitâ morâ aut dilatione, per Decanos Foraneos nobis, sive Officio nostro deferantur.

III. Attendendum est ulterius iisdem Decanis ne in suo toto Decanatu *Judæi* mulieres Christianas, in suis obsequiis, eo magis salariatas foveant, & ne insuper dies festos violent, aliàs pro casu contraventionis ad nos deferendi. Ne insuper diebûs Dominicîs & Festivis

ſtivis foralia in Decanatu exerceantur; invigilandum.

IV. Congregationes Decanales, bis quôvis annô, præviô Proceſſu ſuô Decanali diem, menſem & locum peragendarum ejusmodi Congregationum præfigente, inſtituere, cum Fratribus de occurrentibus negotiis & neceſſitatibus tam Eccleſiarum quàm Eccleſiaſticorum, tum de moribus, honeſtate vitæ Parochorum, aliorumq; Presbyterorum in Decanatu ſuo exiſtentium etiam Cathedralium, de cura animarum, adminiſtratione Sacramentorum, decore Eccleſiarum, Miniſtrorumq; Eccleſiæ, cujuslibet ſobrietate, & cujusvis in particulari diligentia mutuò conferre: an viſitationum Decretis ſatisfactum fuerit? ſedulò inquirere, Congregationes easdem Decanales per turnum in Parochiis ſucceſſivè ſequentibus peragere ſtrictiſſimè obligantur. Jam qualinam modô & Ordine hujuscemodi Congregationes Decanales peragi debeant? patebit infra.

V. Admonendi ſunt deinde Condecanales, ut tempeſtivè pro Oleis ſacris recurrant. Ipſimet verò Decani in transmittendis Proceſſibus noſtris & Directoriis non ſint tardi. Quoties enim Proceſſus noſtros receperint, toties per ſuas intimatorias circulares Literas condecanalibus id commendent, eosq; urgeant ut communicet unus alteri viâ curſoriâ præ

K fatum

fatum quantotius Processum, & quod defacto sibi communicatus, sive relictus sit, in dictis literis circularibus, ad Cancellariam aliàs nostram à Decano transmittendis, sese subscribat.

VI. Sub tempus Congregationum Decanalium nullæ rixæ, contentiones nullæ nulliq; excessus practicentur, aliàs de his convicti, quantociùs coram nobis per Literas accusandi sint.

VII. Ulterius iidem Decani, quovis de anno in annum, singulas sui Decanatûs, præviîs Literîs innotescentialibûs visitent Ecclesias, in qua visitatione Ordinem devotionis, munditiem supellectilis Ecclesiasticæ, Jura & proventus Ecclesiæ manutenendos & vindicandos inquirant. Visitationem tamen ejusmodi absque pulsu campanarum peragere debent.

VIII. Quotiescunq; & quocunq; modo in Decanatu Ecclesia vacaverit, ex nunc talis vacantia nobis notificetur. Sciant autem Decani se fore ac esse obligatos; ut postquam aliquem ex Clero condecanali graviter infirmari inaudierint, hunc personaliter visitent, & ad sumenda tempestivé Sacramenta, tum ad testamentum faciendum in omni svavitate inducant. Quodsi quispiam ex Clero Decanatûs sui ex hac vita testatus decesserit, executores testamentarii á Decano Foraneo sunt monendi (quos etiam nos admonemus) ut se ad locum loci conferant, circa corpus

pus Defuncti dispositione præmissâ, adhibitîs præprimis saltem duobûs testibûs, Inventarium tam Jurium & suppellectilis Ecclesiasticæ, quàm rerum derelictarum revideant & verificent; vel certè si dictum Inventarium non sit confectum, conficiant, illudq; unà cum testibus subscribant, res derelictas obsigillent, obsigillatas fideli custodiæ demandent, cum inventario deinde & Testamento ad nos indilatum faciant recursum.

Si verò aliquem ex Clero sui Decanatûs diem ultimum obire contigerit intestatum, ipsemet Decanus, ea quæ supra injuncta sunt, exequatur, conficiendo derelictorum Inventariô; sese *in*dilatè præsentibûs duobûs saltem testibûs accingat, ac fideliter confectum, ac subscriptum nullâ prorsus protractâ morâ ad nos transmittat. Interea, sic, aut quomodocunque vacanti Ecclesiæ tamdiu in Spiritualibus & temporalibus idem Decanus provideat; donec nos acceptô de fatis Nuntiô per designatam Commendam aliter disposuerimus. In casu fatorum ipsiusmet Decani, vicinior Parochus modum supra præscriptum exequi stringitur.

IX. Quamprimum Decanus de obitu alicujus Sacerdotis receperit notitiam, exnunc Literas condecanalibus salubris hujus cogitationis exorandi pro Defunctis intimatorias extradat, & requirat, quatenus

 pro

pro anima Confratris Parochi duas Missas cum Officio Defunctorum, pro anima verò Vicarii unam Missam quivis condecanalis Presbyter, ut primùm fieri commodè potest, absolvat, similia certó speraturus suffragia.

X. Primô * principaliter ad Decanum Foraneum attinet, ut ipsemet, in persona, aut (si forté legitimè tunc impeditus fuerit) condecanalis Parochus ab illo designatus Neo-Beneficiati introductioni in præsentia Executorum Antecessoris præsit. Beneficiatus verò Inventarium â Decano & Executoribus, sive duobus adminimùm testibus, ac demum â seipso subscriptum, & fideliter priùs revisum Ecclesiæ, domûs Plebanalis suppellectilem, resq; omnes derelictas cum augmento aliquo præteriti Inventarii recipiet. Quod inquam Inventarium ad duo exemplaria redactum, unum in Archivio Ecclesiæ conservabitur, aliud á Decano, & noviter introducto, subscriptum in spatio unius mensis ab actu introductionis computando sub pæna *viginti Marcarum piis causis per nos applicandarum*, actis nostris inserendum, transmittetur.

XI. Admoneant deinde Decani Condecanales suos, ut quivis horum in ambitu suæ Parochiæ, Cruces in viis publicis venerationi Fidelium expositas, & vetustate aut ventorum vi collapsas, aut quomodocunq;

defor-

deformatas, de loco amoveri, ac tolli (novis subinde substitutis decenterq; efformatis) ad avertendum à Judæis & Hæreticis majus exinde scandalum, curent.

XII. Attendant prætereà Oratoriis Laicorum privatis in Decanatu suo, reperibilibus, cum cujus Privilegio & admissione Missæ Sacrificium in illo celebretur, & an non plures ultra unam de die Missam absolvantur? utrum exinde Ecclesia Parochialis detrimentum sive præjudicium patiatur? num aliqui abusus per administrationem in iisdem Oratoriis Sacramentorum, & aliàs recenter per Epistolam Encyclicam summi Pontificis ad præsens Ecclesiam gubernantis eliminati ac sublati irrepsêre? de quibus omnibus & aliis similibus indilatè nos certos reddi adstringuntur.

In reliquis demum punctis pro desumenda informatione ad Constitutiones Synodales dictos Decanos Foraneos remittimus.

MODUS
Ad peragendas Congregationes Decanales, PORRECTUS.

1mò DEcanus Foraneus debet per Literas innotescentiales, antè duas vel tres septimanas notifa-

tisfacere & assignare diem Congregationis Decanalis *in Majo & Octobri* in Ecclesiis alternatim peragendæ & simul consequenter unum ex Parochis vel Vicariis assignare *pro Concione habenda vg.* de statu spirituali & obligationibus ejusdem &c. &c.

2dò. Die præfixo Congregationis & locô, imprimis omnes tenentur etiam Canonici Cathedrales Curati & Collegiatarum adesse in Ecclesia, & Officium *Defunctorum cum Missa cantata*, idq; pro Fratribus in Decanatu Defunctis, decantare.

3tiò. Missa Votiva *de Spiritu S.* cantari debet, in qua Concio habeatur de statu spirituali &c.

4tò. Post Missam occlusâ Ecclesiâ exportetur Sanctissimum Sacramentum *ad Sacristiam* & mensa in medio Ecclesiæ ponatur, penes quam Decanus cum duobus Consultoribus & Notario electis assideat, revidentes utrum omnes Confratres etiam *Canonici Cathedrales* adsint, actus deinde Congregationis inscribendus. Factâ deinceps per Decanum allocutione ad Confratres de aliqua virtute vel vitio statûs spiritualis, fiat scrutinium de vita & moribus omnium & singulorum Confratrum: Et tunc primò Decanus exire debet ad Sacristiam, & de ejus moribus fiat scrutinium inter Fratres, & sic singuli consequenter exeant. Si verò aliquod *notabile crimen* adinveniatur, tunc deferendum

est

est sedi Ordinariæ, sive ejus Officiô. Si verò in *levioribus defectibus* quis inveniatur, monendus, corrigendus, & levibus pænis afficiendus est à Confratribus senioribus & præsertim à Decano.

5*tò*. Revideantur Libri Metrices; utrum exactè scribantur, & an seorsivè *baptizati*, *copulati*, & seorsivè *Defuncti, ac ab Episcopo confirmati* in Libro benè compacto, charactere mundo & legibili annotentur, tum à Decano subscribantur. Quam revisionem Librorum Metrices modô præmissô investigandam, etiam pro tempore Visitationis suæ Decanalis Ecclesiarum in toto Decanatû reperibilium, Decanus exequi tenetur.

6*tò*. Conferant inter se condecanales: num omnes & singuli simul cum Decano *Decretis Visitationum aliisq; Processibus & Ordinationibus ab Ordinaria sede emanatis satisfaciant?* aliàs in casu non satisfactionis, sigillatim ac fideliter à Decano, Decanus verò à quovis Parocho & præsertim viciniore, Ordinariæ potestati deferantur.

7*mô*. Proponendi sunt casus morales præcipuè *de Sacramento pænitentiæ & de impedimentis matrimonii* à Decano, & inquirendi sunt omnes nemine excepto, incipiendo ab inferioribus de resolutione, quàm ultimatè Decanus dabit, & hoc totum æquè ac præcedentia puncta, in actu Congregationis annotetur,

& to-

& totus Processus manu Decani ac Notarii subscribatur, & obsigillatus *ad Ordinariam sedem sive ejus Officium cum notificatione absentium à Congregatione* transmittendus est.

8vò. Absentes verò à Congregatione Decanali omnes & singuli Condecanales, *etiam Canonici Cathedrales* Curati sine legitimo impedimento, *nec suæ absentiæ* causas Literis Nunciisvè exponentes mulctâ pecuniariâ *decem Marcarum* per Decanum irremissibiliter exigendâ & hospitali, aut Ecclesiæ in qua Congregatio celebrabitur applicandâ, puniendi: qui si *refragarii* fuerint? vel se sæpiùs absentâsse præsumpserint & sedi Ordinariæ aut Officio ejus & Instigatori Curiæ deferendi, qui deinde adcitati ultra, aliás pænas arbitrarias, triplum pro inobedientia & negligentia in pias causas instantaneè exsolvere per sententiam compellentur indispensabiliter.

9nò. Admonendi Confratres: ut quivis ipsorum ad quæstiones in usum & commodum pro approbatione recurrentium in anno currenti 1753tio Typo impressas & viâ cursoriâ tunc transmissas, resolutiones in scriptis habeat, memoriâ retineat, & assiduæ lectioni Theologiæ moralis enixam det operam.

10mò. Arcendi sunt DD. Parochi omnes & singuli Decanales a Divagationibus, & ut continuò operosi ac fructuosi resideant penes Ecclesias suas Parochia-

les

les, à quibus non nisi in urgentissimis causis à Jure expressis idq; ad tempus breve, obtenta tamen priùs licentia Ordinarii vel Officii in scriptis, abesse possunt, ut dictum supra.

Residens verò & suum in toto Officium non exequens Parochus pro absente reputatur. Vicarii itidem aliiq; Presbyteri Condecanales ad fructuosam pariter residentiam & evitandas divagationes stringantur.

11mò. Hîs peractîs reponatur Sanctissimum Sacramentum in suo loco accensîs cereîs, & reseratâ Ecclesiâ, cantetur: *Te DEUM laudamus*: pulsatîs tunc campanîs & præmisso versu: *Benedicamus Patrem & Filium* per orationem de *Sanctissima Trinitate*, cum altera *pro Gratiarum actione*, ejusmodi prælaudatam ac summopere necessariam Congregationem terminabunt.

12mò. Ibunt omnes pro sumenda refectione frugali ad *Residentiam Plebanalem*, & sub tempus hujusmodi refectionis lectio spiritualis adhibebitur, reliquum tempus *in colloquiis spiritualibus* consumetur.

13tiò. Ne verò gravati sint uni Ecclesiæ & Parochiæ in cibo & potu, quam etiam in aliis expensis ceræ & vini, alternatim in Ecclesiis sui Decanatûs Congregationes Decanales celebrabunt.

14tò. Quodsi *ipsemet Decanus*: sive convocandis & quovis de anno in annum Congregationibus Decanalibus peragendis, sive transmittendis earundem Con-

gregationum actibûs modô præmissô conficiendîs; & aliàs ad Ordinariam sedem dirigendis non satisfecerit; sive demùm in quocunque muneris & officii sui deviaverit puncto; illicò a quovis condecanali Presbytero & signanter à viciniore, coram potestate Ordinaria, vel ejus Officio, ac eorum Instigatore Curiæ Episcopalis deferendus est: *qui mulctâ viginti Marcarum instantaneè* coram judicio mediante Decreto pro piis causis exsolvendarum punietur. Quodsi in gravioribus excesserit, itidem a quovis Condecanali & præsertim viciniore, juxta rei ac delicti veritatem Officio delatus proportionatîs pro modo culpæ per sententiam afficietur pænis. Et ita ordinamus & disponimus Authoritate nostra ordinaria sub pænis contra renitentes arbitrariis, & contra delinquentes, à Jure statutis.

PUNCTUM XVIIMUM.

De observatione Festorum, & de his quæ sunt vetita Christianis & Hebræis.

QUantùm ad observationem Festorum pertinet; est hæc Catechetica Doctrina. In veteri Testamento illud jussum fuerat: *Memento, ut diem Sabbathi*

sancti-

sanctifices. sex enim diebûs fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo. Idcircò *Benedixit Dominus Diei Sabbathi, & sanctificavit eum.* Apostoli verò *diem Dominicum* Sabbatti locô suffecerunt, quòd eo die Salvator noster ad immortalem vitam surrexerit. Hinc in Apocalipsi Sancti Joannis cap. 1. legitur : *Fui in Spiritu in Dominica die.*

(*a*) Hinc Dies Dominici, quibus specialia quædam beneficia DEUS populo exhibuit, specialiter quoq; à nobis sunt colendi.

Ultra Dominicas, alii quoq; dies festivi solemnes sunt celebrandi, quia S. Ecclesia Mater nostra illos nobis honorandos præcepit, ut per cultum istum Sanctis delatum DEUS magis honoraretur. Celebrare verò seu honorare Dies Dominicos & Festa, in re est; ut 1*mò* hîs diebûs ac Festis *Missæ Sacrificium totum* reverenter audiatur, ad quod audiendum ex præcepto & sub mortali peccato Christi Fideles tenentur. 2*dò.* Ut iidem dies Dominici & Festivi utpote Sancti *in DEO religiosê colendo ac in vera pietate* & non in commessationibus, non in potu, non in tabernis, non deniq; in delictis aut insolentiis transigantur. 3*tiò* ut opera *merè servilia*, qualia sunt, terram fodere, artes Mechanicas exercere &c. *Item opera quasi servilia.* Ut per-

(*a*) Exod. 23. Deut. 16. Esth. 9. Machab. 1. Joan. 10.

mutare , emere , vendere res non necessarias , quæ meritò prohibentur , diebûs Festivîs (*ne mens aviditate temporalium irretita DEI obliviscatur*) item opera *plusquam servilia* qualia sunt opera peccaminosa , totaliter amoveantur.

Exercere mercatum seu foralia diebûs Dominicîs & Festîs, est à nobis summopere jam prohibitum. Quæ prohibitio nostra ut executioni demandetur * debitam diligentiam DD. Decani Foranei & Parochi locales adhibere tenentur.

Eruitur pro Parochis & Concionatoribus instructio *imò* ut ad plenam observationem Dominicarum & aliorum Festivorum ac solemnium Dierum *omni honore* colendorum inducant. Præmoneant sæpissimè Dominos, Parentes, Patresfamilias, ut non solum hi bonô exemplô in colendis *Dominicîs* ac Diebûs *Festivîs* præsint, sed etiam servos, liberos, & Domesticos suos ad hoc præceptum observandum impellant. Hac de re habetur præmonitio Divina Exodi : *Non facies omne opus in eo , tu & filius tuus , & filia tua , servus tuus , & ancilla tua , jumentum tuum , & advena , qui est intra portas tuas.* Non satis est , ut aliquis diebûs Dominicîs & aliîs Festivîs Missæ Sacrificio rebusq; Divinis intersit , à servilibus operibus abstineat , sed etiam contendere debet , ut verum cultum DEO exhibeat , nec ulla peccati labe inquinetur , sic enim per Isaiam inquit ipse DEUS : *Neomeniam & Sabbathum & Festi-*

vita.

vitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea. Et per *Malachiam: Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* 2dò. Exponant pænas justas DEI contra hos, qui contemnunt & violant Dies Dominicos aliaq; solemnia Festa. Et quod etiam in hac vita hujusmodi contemptores & Festorum violatores DEUS justissimis suis pænis afficiat Sic enim per Ezechielem indicavit. *Sabbata mea violaverunt vehementer, dixi ergo, ut effunderem furorem meum, super eos, & consumerem eos.* 3tiò. Ex contemptu Festorum, certissima sæpiùs Divinæ ultionis argumenta ob oculos versari proponant: Ex hoc inquam contemptu, fames, bella, lues pecorum, caristiæ aliæq; calamitates ac miseriæ oriuntur. Hinc Judæus quidam Libro Numerorum, qui die Sabbati ligna congerebat, in potestatem Moysis & Aaron proditus, ipsorumq; jussu in carcerem detrusus sic à Domino corripitur: *Dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Huc servit illa præcustoditio Divina Levit. *Custodite, Sabbata mea &c. & dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum & pomis arbores replebuntur.* Ex præmissis Sacræ Scripturæ textibus constat evidenter, qualiter sacros dies celebrare & observare debeamus, ut in hac & altera vita justam DEI evitemus vindictam. Quan-

tum verò ad ea, quæ per Constitutionem Apostolicam pro Regno Poloniæ vetita sunt Hebræis habitantibus in iisdem Civitatibus & locis, in quibus habitant Christiani; extat seorsiva Litera nostra Pastoralis Typis impressa sub titulo: *List Pasterski wyraźnie w sobie Naywyższey Stolicy Apostolskiey Uwagi y napomnienia dostateczne zawieraiący &c. &c.* In qua Pastorali Epistola per extensum Hebræorum & Christianorum supprimuntur abusus. Attendant diligenter tam Sæculares quàm Regulares omnes & singuli Presbyteri, qui sunt casus reservati, in præfata Epistola nostra Pastorali Polonico Idiomate expressi, quos nobismet ipsis *privativè reservavimus & reservamus*, à quibus casibus reservatis *nullus absolutè Presbyter*, sive ille sæcularis sive regularis absolvere potest, *nisi in articulo mortis*, aut qui à nobis *in scriptis* expressam habuerit potestatem sibi delegatam.

PUNCTUM XVIIIVUM.
DE HÆRETICIS.

PRobè vobis notum est: quomodò pravitas hæretica tam Sacris Canonibûs quam & Constitutionum Regni sententiis, Decretis & novissimè Annô 1717. in Novella lege est circumscripta.

Cla-

Clarum deinde per se est, speciali ter in Ducatū Masoviæ Diæcesiq; nostra Plocensi Fidem Sanctam Catholicam semel susceptam, inviolato temporum tractu ab omni lue hæretica immunem floruisse ac florere.

Est insuper ad hæc usq; tempora fervor & ille zelus Fidei Catholicæ in animis Procerum & populi Masovitici olim præconceptus satis notus. Postquam enim hæretica licentia, regnante protunc Vladislao IV. Rege Poloniæ, aditum & domicilium sibi quæsiverit, cumprimis Masovitæ pio sensu & unanimi voto adversùs eam sunt adeo indignati, ut ex hac potissimum ratione magna sibi Privilegia conciliaverint. Non dubitamus per DEI gratiam ejusmodi zelum, nostrîs quoq; temporibûs, quinimo ad consummationem seculi in filiis filiorum; id est in incolis hujus Provinciæ intemeratum esse, ac fore extiturum, & Religionem sanctam sertam tectamq; permansuram.

Statutum Janussii Ducis aliaq; Privilegia extant à Serenissimis Regibus data & à tota Republica approbata, & sæpiùs innovata, quibus ab incolatu Hæretici sub pænis criminalibus arceantur. Quare inhibemus omnibus Catholicis, ne domos suas, lapideas, cellaria, fornices, Hæreticis elocent, nisi fortè transeuntibus & tempore nundinarum tantummodò. Prætे-

rea

rea obtestamur amore Fidei Sanctæ omnes & singulos Dominos, Hæredes ac Possessores, ne hæreticos ad villas aut oppida sua conducant, neve ipsis incolatum figant, quinimo ut sint memores strictæ in extirpandis his zizaniis seu in absolutè denegandis hæreticæ pravitati auxiliis & fautoratibus, obligationis suæ, obsecramus.

Omnibus igitur & singulis DD. Decanis Foraneis & Parochis localibus perurgenter demandamus, quatenus enixe attendant, ne lupi rapaces & feræ pessimæ ovile invadant. Et ut seposito omni respectu vel timore humano, passione & affectu inordinato, contemptoq; amore & interesse proprio, DEUM solum & bonum commune Ecclesiæ præ oculis habentes, Proceribus, Dominis, Hæredibus, Possessoribus sincerè & candidè manifestent, svadeant, consulant, & constanter inculcent, ut hi zelo suorum Prædecessorum instructi hæreticæ pravitati fortiter resistant, nec eam quovis prætextu imaginabili patiantur.

Hoc ipsum nosmet ipsi pro sollicitudine Pastorali omnibus & singulis cujuscunq statûs & conditionis Diæcesanis nostris incessanter inculcamus, ut insistendo majorum suorum vestigiis oppida & villas suas, agros ac colonias conductione Hæreticorum non inficiant, sed in statu plenè Catholico conservent, miseri-

seri-

fericordiam à Domino & Benedictionem pro hoc salutari zelo recepturi. Illud simul vobis in cura animarum laborantibus Presbyteris pollicemur, Nos, tunc cùm opportunitas feret, & quamprimum à vobismet de hac si fortè attentanda (quam DEUS misericors avertat) in Diæcesim nostram hæreticorum conductione notitiam receperimus, omni efficacia hac de re agere non prætermissuros, & opportuna cum DEI auxilio remedia ad avertendam hæreticam labem perniciosam, subministraturos.

In reliquo: revocamus in memoriam Constitutiones Synodales titulô *de Hæreticis.*

PUNCTUM XIXNUM.

De Modo & Potestate applicandi Christi Fidelibus

INdulgentias in articulo mortis, *quam potestatem*, juxta Constitutionem Apostolicam, quæ incipit: *Pia Mater Catholica Ecclesia &c. &c*

Sub Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem Annô Incarnationis Dominicæ 1747mô Nonîs Aprilis, Pontificatus Anno tunc 7mo editam ac promulgatam, *Omnibus Presbyteris tam sæcularibus quam*

Regularibus in exercitio curæ animarum laborantibus Authoritate nobis à SSmo D. D. BENEDICTO Papa hujus Nominis XIV. delegata, subdelegamus per præsentes.

MODUS

A. SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV. APPROBATUS.

PRo opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his qui facultatem habent à Sede Apostolica delegatam. Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pænitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, illis infirmis qui vel illam petierunt, dum sana mente, & integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa Contritionis, impertienda iisdem est; etiamsi postea linguæ cæterorumq sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis verò impænitentibus, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda; habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat *Pax huic domui, &c.* Ac deinde ægro-

ægrotum, cubiculum, & circumstantes aspergat *aquâ benedictâ*, dicendo Antiphonam: *Asperges &c* Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum & absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum Contritionis, de hujus Benedictionis efficacia: ac virtute si tempus ferat, breviter admoneat, tum instruat, atq; hortetur, ut morbi incommoda ac dolores, in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, DEOq se se paratum offerat ad ultrò acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pænarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbîs consoletur, in spem erigens fore, ut ex Divinæ munificentiæ largitate, eam pænarum remissionem, & vitam sit consecuturus æternam. Postea dicat V. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* R. *Qui fecit cælum & terram.*

ANTYPHONA.

Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ) neq; vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleyson Christe eleyson Kyrie eleyson. Pater noster &c. V. *Et ne nos inducas in tentationem.* R *Sed libera nos à malo.* V. *salvum fac servum tuum* [vel ancillam tuam) & sic deinceps. R. DEUS meus sperantem in te.

℣. *Domine exaudi Orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

CLementissime DEUS Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atq; sperantem, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides & spes Christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti tui Passionem & mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs sui te judicem propitiatum inveniat, & in sanguine ejusdem filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus: Confiteor &c. Sacerdos dicat *Misereatur &c.* deinde. *Dominus noster JESUS Christus Filius DEI vivi qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atq; solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat Confessionem tuan, & restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, & ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum tibi concedo in Nomine Patris &c. Per sacrosancta humanæ reparationis Mysteria remittat tibi Omnipotens DEUS omnes præsentis & futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat & ad gaudia sempiterna perducat, Amen. Benedicat te Omnipotens DEUS, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.*

Si

Si verò infirmus sit adeo morti proximus, ut neq; Confessionis generalis faciendæ, neq; præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

PUNCTUM XXMUM.

EXponuntur Indulgentiæ perpetuæ à SS. Domino nostro Domino BENEDICTO Papa XIV. tam docentibus & addiscentibus methodum Orationis mentalis, quàm ipsam Orationem mentalem peragentibus concessæ. Tenor ejusmodi Indulgentiarum à S. Sede Apostolica concessarum, sequitur talis:

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus Metropolitanis Archi-Episcopis, Episcopis & Præsulibus locorum Ordinariis universis, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUemadmodum nihil est hominibus à Familiari DEI consortio & consvetudine avulsis & ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam Salutem procurandam, & ad DEUM

ipsi manu facta cōcurdum magis opportunum salutare ac necessarium Oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad Cælestia, Inquisitio Supernorum, invisibilium desiderium, Conjunctio Spiritui Sancto, & ad DEUM locutio, ita, ne desolatione desoletur universa terra ex eo, quòd nullus recogitet corde, omnes & singuli ubiq; semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare, & nunquam deficere, ut in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud DEUM, ipse qui Dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas à nobis amoveat miserationes. Ea propter, Prædecessores nostri Romani Pontifices Divina Institutione formati, ut Christi fideles ad Orationis, sive vocalis, sive mentalis ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, & sine Intermissione frequentandum incitarent, eosdem tum Cohortationibus inflammare, tum Cælestium etiam munerum Thesauris quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodo libet debitis pænitentiis relaxationes elargiti sunt ijs, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquot temporis spatium quotidie in lege Domini, meditarentur. Nos autem laudatissimis eorundem Prædecessorum nostrorum exemplis incensi, non solum omnes & singulas Indulgentias, peccatorum remissiones & Pænitentiarum relaxationes per eosdem nostros Prædecessores, pro recitantibus quascunq; vocales preces (dummodo nunquam revocatæ, fuerint) aut quomodolibet orantibus quocunq; modo sive ad tempus sive in perpetuum ad hanc usq; diem concessas Apostolica Authoritate, tenore præsentium sub iisdem prorsus

modo

modo ac forma Confirmamus, &, quatenus opus sit, de novo concedimus, verum etiam alias insuper ijs præsertim, qui mentalis Orationis seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur. Primum itaq; omnibus & singulis sivè qui tam in Ecclesijs, quam alibi, & ubicumq; locorum publice & privatè quoscunq; homines orandi seu meditandi rudes quomodocunq; orare & meditari docuerint, sivè qui piæ orandi & meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo verè pænitentes ac sacra Communione refecti, qua vicè id egerint, septem annos & totidē quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pænitentijs in forma Ecclesiæ consveta relaxamus. Jis verò tam docentibus quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint; ac similiter verè pænitentes ac Sacra Communione refecti pro Christianorum Principium Concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, semel in Mense pro unius cujusq; commodo & arbitrio plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, quam per modum Suffragij Animabus Christi fidelium, quæ DEO in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper ijs, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem Orationi mentali dabunt operam, & verè pænitentes & Confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, quam itidem per modum suffra-

Suffragij Animabus Christi fidelium, quæ DEO in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, authoritate & tenore similibus, misericorditer in Domino elargimur. Et si autem juxta Divinum Domini Nostri JESU Christi præceptum oportet; ut quisquis oraturus, ne ad instar Hypocritarum videatur ab hominibus, intret Cubiculum suum, & clauso ostio oret Cælestem Patrem in abscondito: tamen, cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum, & Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet: esse in Oratione cum fratribus, plus aliquid videlicet Concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & Caritatis clamorem felici Societate, ex qua Orationes infirmiores se simul complexas, validiores in Cælum evehi: optimum esset, ubi commodè fieri posset; ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus & singulis Diœcesibus in more poneretur; nimirum ut singulis diebus dato certo campanarum signo sive in Ecclesiis, dummodo totius Populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis à fœminis seorsim Collocatis, convenire facile possit, & nulla suboriatur confusio & inordinatio, sive in propria Domo Patres familias eo, aut alio opportuniori tempore ante Imaginem Sacram cum tota Familia convenientes orent. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, rogamus & in Domino hortamur, ut omnibus & singulis Ecclesiarum piorumq; locorum in Civitatibus quidem Cathedralis aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in Oppidis verò Parochialium Ecclesiarum, Superioribus ac Rectoribus injungatis, ut, præmisso campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus Vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando decernendoq; omnes Christi fideles unius cujusq; Curæ

commis-

commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atq; ad illam frequentandam accendere necessitatem utilitatemq; proponere, Indulgentiarum thesauros, quos de benignitate Apostolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate ac reverentia lucrandos inflammare studeant & enitantur; atque etiam, si commodè, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant & curent. Præsentibûs perpetuîs futurîs temporibûs valiturîs. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem Præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Interim Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Decembris MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Cajetanus Amatus.

UT igitur animabus pretioso Sangvine Christi redemptis proficuum ac saluberrimum peragendæ *Orationis Mentalis* seu Meditationis tam in *Cathedrali Nostra*, quam *Collegiatis quotidie*, aliisq; *Omnibus* & *Singulis* Paro-

chialibus Ecclesiis Diæceseos nostræ saltem *Diebûs Dominicîs & Festivîs* in non interrupto usu & piè continuata consvetudine ac exercitio practico, *prævio majoris campanæ pulsu*, circa lectionem ad Populum *de mane* ad Ecclesiam congregatum alicujus meditationis asceticæ *Idiomate Polonico* faciendam vigeat, & lucrum annexarum Indulgentiarum non omittatur, auctoritate Ordinariâ demandamus. Inter alios Libros approbatos asceticos quò ad legendas per Rectores animarum punctatim meditationes & â Populo *internè* considerandas censemus quoque Libellum illum cui titulus: *Uwagi Chrześciáńskie ná kázdy dźień Miesiąca służące* &c. fore & esse ad præmissam operis saluberrimi consvetudinem introducendam summopere necessarium.

PUNCTUM XXIMUM.

EXponuntur Indulgentiæ pro recitantibûs sub horam noctis ad pulsum campanæ Psálmum: *De profundis*, vel semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, cum versiculo: Requiem æternam &c.

CLE-

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆlestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem nobis commisit DEUS, ad Christi Fidelium pietatem fovendam, atque augendam, & animarum salutem promovendam, libenter erogamus. Itaque de omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus Authoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexûs Christi Fidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanæ Psalmum: De profundis vel semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam cum versiculo: Requiem æternam &c. in suffragium animarum Christi Fidelium Defunctorum flexis genibus devotè recitaverint, quo die id egerint: centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pænitentiis in forma Ecclesiæ consveta relaxamus. Insuper eisdem Christi Fidelibus verè pænitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, Plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat per unumquemque Christi Fidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, misericorditer in Domino concedimus; & elargimur, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis,

N 2 *etiam*

etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Augusti 1736. Pontificatûs Nostri Annô septimô.

Fr. Card. Oliverius.

QUare ut præinsertæ Indulgentiæ tum in Suffragium Animarum Christi Fidelium Defunctorum, tum in lucrum Spirituale in præsenti vita degentium, erogatæ; in præscripta desuper forma ex suggestu *in Cathedrali & Collegiatis aliisque omnibus & singulis Parochialibus & Regularium Diœceseôs nostræ Ecclesiis* sufficienter fideli populo promulgentur, pulsusque campanæ sub horam noctis circa præfatas Ecclesias quotidie adhiberi non prætermittatur, Ordinaria Authoritate nostra demandamus.

PUNCTUM XXIIDUM.

DE OBSERVATIONE CONSTITUTIONUM SYNODALIUM.

EO fine Constitutiones & Decreta Synodalia conduntur,

duntur ; ut prò reverentia & obedientia debitæ executioni demandentur. Quare recentiſſimæ ſemper memoriæ & inviolatæ obſervationi ejusmodi Conſtitutiones Synodales ac præſentem Epiſtolam noſtram Paſtoralem inculcandas eſſe duximus & continuò inculcamus. Ad quem effectum omnes & ſingulos Presbyteros ſeculares in cura animarum laborantes, & reſpectivè Regulares ; id eſt in ſuis Punctis vi earundem Synodalium ac præſentis Epiſtolæ ad eosdem Regulares referibilibus, verbîs S. Caroli Borromæi zeloſiſſimi circa diſciplinam Eccleſiaſticam Antiſtitis, alloquimur.

Rogamus omnes & per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini obſecramus, ut has Conſtitutiones veſtras quantô maximô poteſtis amore, & pietate amplectamini, legatis, ſequamini, totos vos ad earum ſententiam rationemque, accommodetis.

(a) Epiſto. 20. præfix. act. Eccl. Mediol: primæ editionis.

Ad Majorem DEI T. O. M. Gloriam, Pretioſiſſimæ Parentis Virginis MARIÆ OOq; SSrum ac Angelorum Cu-

ſtodum

ſtodum totius Diæceſis noſtræ, Cultum & Venerationem; indefeſſum in Clero cum pietate Zelum, & Animarum pretioſiſſimo Sanguine Chriſti redemptarum lucrum ac incrementum in dies & momenta, ſemper majus.

Pro univerſo Clero & Populo Plocenſi viâ Curſoriâ.

Tabu-

ltum
Clero
pre·
ırum
no-

nſi

Suſc

tra pten d. idem et ymat e et actu physic. N e ymat existen Mtph
ant N, Con. existeno mat est ptemimus potenz et actu d. n mat
qre ga existena mat e actu Mat phy potens Mtphic d physic nec n
eodem Ordine qa existena mat e actu p Ordinem ad eam mad potenz
eum p Ordinem ad existenam frd sibi unionedd pbaone ultima tmlt
d. omnis existena e actu in raone existendi v complete a incomplete physice l.
d actu existendi semp complete physice Nc. eodem modo frmaone existeno
completa mee physice e ultimus phy. ete l existena incompleta mee physice
e ete n ant et l

Adverte 1mo Componitur hic duas existenas completas,

et qy componit una completa existena totus existena tn mat. incom
pleta n formalit et reduplicative. completa e objectum nec existena frd compta
reduplicative e actu physicy. existena enim ut compre tatis n agit nec patit d
in homine solu reali existena mad e objectum et existena frd actu ga existena
mad e realit una mad et existena frd una pro Ego Mi Habitu Clericali

Adverte 2o Ornavi me 1754 Die vero ...

Ethel
Lacroix
Piasecki


Biblioteka Jagiellońska
stdr0026678

